Commentarij Ioannis Arborei LAVDVNENSIS, DOCTORIS THEOLOGI, in Ecclesiasten, ad illustrissimū Principem HENRICVM, Galliæ Delphinatem.

EIVSDEM COMMENTARII IN CANTIcum Canticorum, ad nobilissimum, ac reuerendissimum Cardinalem Ludouicum Borbonium.



PARISIIS
Ex officina Simonis Colinæi.
1 5 3 7.

Generoſiſſimo Principi Henrico,

GALLIAE DELPHINATI, IOANNES ARBO= reus, doctor Theologus Pariſienſis, perpetuam felicitatem exoptat.

QVi ſummo & illuſtriſſimo Principi præclara ſuorũ ſtu= diorum monimenta dedicant, HENRICE nobiliſſi= me, toto ſtudio totáque animi induſtria nituntur illius beneuolentiam ſibi conciliare, aut conciliatam tueri & conſeruare: nec tam ſuis ſtudent commodis, quàm illius honori, cuius gratiam demereri cupiunt. Quan= doquidem nihil eſt excellentius, quàm hominem ab eximijs virtutibus, quibus cæteris longè antecellit, extollere, & commendare. Quo ſanè lau dis genere iuuenes bene nati, ad diſcendas literas inflammantur & im pelluntur, nec duris parcunt laboribus, vt ad hunc optatiſſimum finem perueniant. Hic me hercle ſolus conſequendæ gloriæ igniculus, oſci= tantiam, torpedinem & inertiam depellit, fugat & excutit. Senes etiam ſuarum virtutum commendatione illecti, honore maximopere delectan tur, viuunt & illuſtrantur. Hac denique ſola gloria illuſtriſſimi milites ad res præclarè gerendas excitantur & accenduntur, perferunt æſtus, fri= gora, inediam, famem, ſitim & aduerſa quæque, vt ad ſummum honoris & virtutis faſtigium euehantur: & eo ſunt magno & conſtanti animo, vt procelloſis tempeſtatum fluctibus agitati & concuſſi, nunquam ſuc= cumbant, nec de gradu deijciantur. & quò magis premuntur & feriun= tur, eò magis, inſtar victricis palmæ, renituntur: nec ad mortem vſque vulnerari, cedunt arenæ. quorum gloria, virtute & animi magnitudi= ne nihil vnquam maius ac admirabilius dici potuit & excogitari. Nam rectis ſtudijs & honeſtiſſimo conatu, veram ſibi comparare gloriam con tenderunt. Quæ ſi rationis cancellos & honeſtæ vitæ fines egrediatur, non tam dicenda eſt gloria, quàm ambitio, iactantia & oſtentatio. Præ= clarè enim Socrates hanc vitam ad gloriam proximam & quaſi compen diariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet. Quòd ſi qui ſimulatione & inani oſtentatione ac ficto non modò ſer= mone, ſed etiam vultu ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe putent, vehe= menter errant. Summa ſiquidem & perfecta gloria, pulcherrimis iuſti= tiæ, fidei, prudentiæ, liberalitatis, beneficentiæ, ac cæterarum omnium virtutum officijs innititur & ſtabilitur, quibus magnanimi ac fortiſſi= mi viri nobilitantur, & immortale ſibi nomen comparant, omniúmque applauſum & fauorem, ſuarum virtutum ſplendore & amplitudine pro= merentur: & ita ſunt affecti animo, vt ſuſceptis laboribus, periculíſque

aditis ſolum ſibi perſuaſerint virtutem, & quod honeſtum eſt ac deco- rum, aut admirari, aut expetere, nullíque neque homini, neque pertur- bationi animi, neque fortunæ ſuccumbere. Nec quicquam magis vitu- perandum eſſe exiſtimant, nec maiori & accuſatione & inſimulatione di gnum, quàm frangi metu, eneruari libidine, & vinci à voluptate & iner tia: nihil verò magis laudant & ſuſpiciunt, quàm ſe à labore & volupta- tibus, ac ab omni cupiditate inuictum præſtare, réſque gerere vehemẽ- ter arduas & maximè vtiles, plenáſque laborum & periculorum, tum cau ſa vitæ, tum multarum rerum quæ ad communem reipublicæ vtilitatem pertinent. Hanc animi dexteritatem ac magnitudinem, partim ab opti mis naturæ igniculis, partim ab integerrima morum probitate, ac ſtu- diorum omnium & virtutum exercitatione nanciſcimur. qua haud du- biè nihil eſt præclarius, nihil amabilius, nihil denique quod magis ho- mines alliciat ad diligendum. Nulla ſiquidem alia res magis quàm mo- derata in rebus magnis exercitatio, & vitæ ſocietas, ac communis litera- torum congreſſus. amicitiam ſtabilire poteſt & confirmare: qua ſanè ne- glecta, diruũtur caſtra, ſubuertuntur vrbes, pereunt literæ, & beatiſſimus reipublicæ ſtatus labefactatur. cum verò colitur, & noſtris affectibus im- perat, ac per omnium vitam ſerpit, ad ſumma peruenimus, beatámque ac tranquillam vitam agimus. nec optimum ac maximum amicitiæ or- namentum abſque virtute adipiſci poſſumus. quam qui tollit, & amici- tiam tollat neceſſe eſt. Nec quicquam me magis mouit, Princeps illuſtriſ ſime, animúmque meum impulit, vt Cõmẽtarios in Eccleſiaſten tibi nuncupatim conſecrarẽ, quàm admiranda tuarum virtutum amplitudo, rara morum probitas, & ſingularis tua erga omnes amicitia, qua clariſſi- morum principum ac totius Galliæ animos tibi deuinxiſti, ac tua huma nitate, modeſtia, manſuetudine ac clementia, propenſiſſimam omnium beneuolentiam & gratiam tibi conciliaſti. Qui diligenter & tota verita- te præclaram tui animi indolem, naturæ ſolertiam, ac dexteritatem ex- penderunt, maximam de te ſpem conceperunt, & tanquam optimi φυ- σιογνώμονες à lumine tuę probitatis, prudentiæ, ac generoſi animi, coniecta runt te liliata ſtirpe enatum, fore Regem maximum, potentiſſimum ac inuictiſſimum. Nec immerito tuam inſignem adoleſcẽtiam, pietatem in parentes, beneficẽtiam in pauperes, ac in tuos beneuolentiam commen- dant omnes, & admirantur, ac in te ſuos conijciunt oculos. Nam à pue- ritia habuiſti cauſam celebritatis & nominis, à tuo patre FRANCISCO Gallorũ Rege chriſtianiſſimo & inuictiſſimo acceptam, quem viri opti- mi ob viuidum chriſtiani pectus, animi magnitudinem, prudentiam, co mitatem, & promptiſſimum in ſtudioſiſſimos quoſque fauorem, laudãt, ſuſpiciunt & reuerentur. Illum extranei atque ſuum principem amant,

& singulari beneuolentia prosequuntur. Præclara illius facinora, magnificentiam, hospitalitatem & industriam, qua in re militari cæteris antecellit, prædicant & summopere commendant: in eo denique mansuetudinem, facilitatem, clementiam & placabilitatem, qua nihil est laudabilius, nihil denique magno & præclaro viro dignius, probant & extollunt. Et licet augustissima maiestate splendeat, & regiò diademate insignitus, summis illustretur honoribus, nihilo tamen fit elatior & arrogantior. nec in rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus insolescit, nec in aduersis deijcitur animo, sed præclaram in omni vita æquabilitatem seruat. Has mi HENRICE tui patris, serenissimi ac christianissimi Regis virtutes quæ nullo vnquam æuo senescent, nec vlla obliuione obliterabuntur, amplectere, vt commodius ac felicius possis præclara tuorum maiorum monimenta illustrare, summámq; illorum gloriam clariorem reddere. Hoc facile præstabis: si (vt cœpisti) in tuis rebus agendis vtaris prudentissimorum hominum consilio, & exquisitissimo iudicio, nec lato quidem vngue ab illorum sententia discedas. qui cum excellentes quasdam singularésque virtutes in te perspicient, rectam tui animi culturam maximis efferent laudibus, te denique ob egregias tui ingenij dotes absque vlla simulatione amicitiæ, colent & vehementer amabunt, etiam nulla vtilitate quæsita. Quòd si optes aliquando ingenuis & liberis Gallis imperare, sapientiam è lympidissimis virtutum fontibus scaturientem & vbertim promanantem discas & exoscu leris, quam Salomon Rex omnium sapiētissimus & opulentissimus, cum 3. Regum 3. esset paruulus, à domino postulauit, vt melius populum dei iudicaret, & discerneret inter bonum & malum. Hæc siquidem virtus infrænes animi affectus domat, aculeos carnis & petulantiam coercet, ac libidinis incendia restinguit. Sapientia enim, authore Cicerone libro primo de finibus bonorum & malorum, mœstitiam pellit ex animis, quæ nos exhor rescere metu non finit. qua præceptrice in tranquillitate viui potest, omnium cupiditatum ardore restincto. Et cum vita omnis perturbetur & errore & inscitia, sapientia sola nos à libidinum impetu & formidinum terrore vindicat, & ipsius fortunæ docet modestè ferre iniurias, & omnes ostendit vias quæ ad quietem & tranquillitatem ferunt. Quòd si pulcherrimis sapientiæ studijs, iustitiam, virtutum omnium splendorem maximum, copulaueris, non mediocrem me hercle tuis virtutibus ac cumulatissimis tui animi diuitijs accessionem facies: qua rectè institutus æquissimum omnibus facies iudicium, erues vi oppressum de manu calumniatoris: nec libidine dominandi in aliorum fines irrumpes, nec durissimis exactionibus populum tibi subditum diuexabis, nec cuiquam nocebis nisi lacessitus iniuria, sed conaberis cū christianis principibus

pacem habere. Si denique sanctas iustitiæ leges ad vnguem obserues, & ea animi magnitudine orthodoxam philosophiam ab hostilibus hæreticorum incursionibus protegas, qua tuus pater ὀρθοδοξότατος protexit, in deorum numerum cooptaberis, & Gallia tibi deuinctissima te tanquam quoddam numen terrenum perpetuo honore venerabitur. Et eo sis semper magno & constanti animo, vt totam vim bene viuendi in animi robore ac magnitudine, vt in omnium rerum humanarum despicientia & in omni virtute colloces, discásq; à Salomone, ne prosperis intumescas, honores, diuitias, magistratus, regna, imperia & hominum industriam ac labores vanitati subiacere. Enimuero ex sacris compertum est literis, quàm sit vanũ, inane & miserum, ob superbiam & suæ felicitatis iactantiam de gradu deijci, & in maximas incidere calamitates. Sensit primus homo optimis dei dotibus illustratus, quantum deo displicuerit ela
Gene. 3. rio mentis, qua à Paradiso exulauit: & cui neglecto, dixit dominus, Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Et quid vnquam vanius Chayn & calamitosius? qui inuidiæ te
Gene. 4. lis transfossus, cum non potuisset æquo ferre animo felicitatem Abel, sui fratris innocentissimi sanguinem effudit, pro suis tamen flagitijs ac di
Exod. 14. uinæ misericordiæ diffidentia acerrimas luit pœnas. Nouit Pharao vanitatis dux primarius, quàm sit stultum cæcę fortunæ confidere, & nolle post diuturnam afflictionem resipiscere. cuius munitissimum exercitum
Exod. 32. dominus deiecit in mare. Dederunt pœnas filij Israel, pro sua prodigiosa vanitate, cum vitulum conflatilem contempta dei religione adorassent. Deuorauit & ignis Nadab & Abiu filios Aaron, quòd temere & va
Leuiti. 10.
Nume. 11. no studio obtulerint ignem alienum. Percussit etiam dominus filios Is
Nume. 22. rael, quòd pro esca & ventris ingluuie obmurmurassent. Vani certè fuerunt conatus Balaam, arioli, quòd destinato animo voluerit maledicere
Iosue 7. filijs Israel, licet castigatus ab illo scelere resipuerit. Obrutus est & lapidibus Achan, quòd cæco auaritiæ studio captus, abstulerit pallium coccineum, & ducentos siclos argenti, & regulam auream quinquaginta si
1. Regum 8 clorum. Declinauerunt & filij Samuelis in vanitatem auaritiæ, & cum acceperissent munera, peruerterunt iudicium. Et quid filiorum Israel po
1. Regum 8 stulatione vanius dici potest? qui à Samuele petierunt sibi constitui Regem, abijcientes dominum, ne super eos regnaret. Expulsus est & de re
1. Regũ 15. gno Saul Rex potẽtissimus, quòd dei iussis non obtemperauerit, nec occæcatus prædis omnino deleuerit Amalech. Quid dicã de vanitate Da
2. Regũ 11. uidis Regis sanè clementissimi? cuius oculos Bethsabee sui pulchritudine fascinauit & deprædata est, eiúsque voluntatem ad nephandum adulterium pellexit. Dij immortales, sola libido vicit, quem strenuissimi & fortissimi milites nunquã vincere potuerunt. Ecquid vanius, imò quid

petulantius & ſalacius incæſtu Amnon cum ſua ſorore Thamar? qui à pueris Abſalon,confoſſus gladio, miſerè perijt.Fuit & in vanitatis officina concluſus ipſius Abſalon interitus, quem Ioab in quercu hærentem,tribus lanceis confodit. Expertus eſt & Salomon Rex omnium ſapientiſſimus, quàm ſit vanum & calamitoſum ardentiſſimo mulierum amore vulnerari, earúmque pedicis irretiri:qui libidine & ſcortis auerſus à domino, deos alienos coluit.cum tamen reſipuit,& antiquas animi ſordes deterſit, diuino afflatus numine dixit,Vanitas vanitatum,& omnia vanitas. Longè plura, Princeps nobiliſſime, de vanitate hominum congererem exempla,niſi vererer tibi tædium adferre: vt de ſtultitia ipſius Roboam,qui iuuenum conſilio deluſus,decem ſui regni partes perdidit: de interitu Achab, de Ozia lepra percuſſo, quòd voluerit adolere incenſum ſuper altare thymiamatis: de perditiſſimo Manaſſe, qui coluit idola,& ſanguinẽ innocentis effudit:de Sedechia,cuius oculos effodit Nabuchodonoſor Rex Babylonis crudeliſſimus,& eum vinctum adduxit in Babylonem,nec tamen abijt impunitus.Nam deus ferociſſimum illius animum & elatam gloriam incuruauit,virgam & baculum ſæuiſſimi tyranni contriuit, ac eius ſuperbiam ad inferos vſque detraxit.Hæc,vt exiſtimo,ſufficient exempla,quibus forſitan mi HENRICE moueberis, & intelliges nihil maius eſſe, nihil denique præclarius,quàm res humanas deſpicere: nihil verò vanius & abiectius,quàm plus æquo proſperis rerum fortunis, honoribus,& hominum præſidijs confidere. quod apertiſſimè docet Eccleſiaſtes, quem noſtris ſtudijs illuſtratum tuæ auguſtiſſimæ maieſtati officioſe deuouimus, vt maiorem ſibi & authoritatem, & gratiam apud ſtudioſiſſimos quoſque compararet,nóſque à canino inuidorum latratu,& calumniatorum iniurijs vindicaret.cuius lectione præclaras tui animi virtutes augebis,facile deuorabis tædia,& ſubortas perturbationum procellas ſedabis.Quòd ſi noſtris faueris auſpicijs,& huic opuſculo calculum addideris,maiora poſthac moliemur. Bene Vale.

[Margin notes: 2.Regũ 13. · 2.Regũ 18. · 3.Regũ 11. · 3.Regũ 12. · 3.Regũ 22. · 4.Regũ 15. & 2.para.26 · 4.Regũ 21. · 4.Regũ 25. · Eſaiæ 14.]

Ex ſacro Sorbonicæ domus Muſæo.

IOANNIS ARBOREI IN ECCLESIASTEN Præfatio.

TOto conatur studio Ecclesiastes sapientissimus, iis qui honestis vitæ officiis recte sunt instituti, quique euangelicam sitiunt philosophiam, persuadere, mundana quæque prorsus esse contēnenda, & magno ac constanti animo deserenda, & omnia quæ in pulcherrimo huiusce inquieti ac turbulenti mundi, ac decidentis seculi spectaculo cernuntur, esse vana, nec summis honoribus, præclaris magistratibus, incertis cæcæ fortunæ diuitiis, nec rhetorū, poetarum ac philosophorū disciplinis fidendum, sed soli virtuti, solíque religioni ac pietati iugiter inuigilandum, nec denique tutissimam in his quæ pereunt, defigendam esse anchoram. Etenim quo magis immodico istarū rerum studio, ac anxia cura tenemur, & obuincimur, eo magis torquemur & diuexamur. Hæc sola inexpletilis rerum expetendarum cupiditas, imò potius insania, nos reddit deliros, vecordes & stolidissimos, totúmque hominem à syncera rerum diuinarum contemplatione abducit & auocat. Putemus suauissimas huius mundi delicias esse fallacissima Syrenum incantamenta & veneficia. Nobis quoque fidem faciamus, nihil esse sub sole nouum, sed omnia tempore elabi & effluere, cunctáque vanitati subiacere. Et nostrā industriam, solertiam, ingenii vires, & acrimoniā omnémque literaturam hominum inuidiæ & calumniis patere. Huc tendunt hominum conatus, ærumnæ, solicitudines, vt laborēt pene omnes in ventum. Porrò nónne summa est miseria & extrema vanitas, oblatis nobis honoribus & accumulatis opibus vix posse momento perfrui? Hæc sanè elatos lædunt, & plerunque sapientes conturbant. Ad nostrū igitur Ecclesiasten, despectis rerum humanarū studiis, cōfugiamus. à quo discemus stultitiam exuere, affectus sedare, pecuniarum cupiditatem expellere, dolores contemnere, fortem animum induere, aduersa æquo animo tolerare, & quod omnium votis expetendum est, nos ipsos cognoscere. Hoc siquidem vitæ institutum amplexando, aliorum insania prudētiores euademus, agnoscemus subinde nihil homine, cæco sui amore capto, vanius esse & contemptibilius. Quid enim illis profuit qui in diebus Noe incumbebāt genio, voluptatibúsque omnibus ventrem farciebant, & diluculo ad sectandam ebrietatem expergiscebantur? quorum tandem, vt norunt omnes, calamitosissimus fuit exitus, & æquissima dei sententia, diluuio perierunt. Nemo tamen est qui rem hanc animaduertat, & illorum naufragio resipiscat. neminem inuadit timor, luget nemo, nemo pectus pulsat, nemo diem illum mente peruoluit, nemo præsentia hæc breui peritura meditatur. & quod maxime dolendum est, neque nos acerba & immatura mors castigat, nec acutissimis aliorum morbis mouemur, eo cæcitatis fumo caligamus, vt arbitremur nos semper victuros. Deberemus ab elemētis & iis quæ cito labūtur, humanæ conditionis instabilitatem ediscere, & in illis repentinā mutationē conspicari. Nec hyems, nec æstas, nec ver, nec autumnus, nec denique fragrantissimi flores, nec magnifica ædificia perpetuò manēt: sed decurrūt omnia, euolant & delabuntur. Homo tanquam flos fœni mane virescit, ad vesperam tamen arescit & emoritur. Quid igitur miser tantopere

tuas iactas opes? cur in rebus prosperis insolescis? cur summos ambis honores? cur ab improbis moribus dignitatẽ tibi vendicas? Nunquã more vulturũ cadaueri, & aucupãdis astu sacerdotiis, inhiare desines? Caue, caue ne mors inopina te viuum absorbeat, & dilatet infernus animã suam, vt te deglutiat. Audi Salomonẽ præclarè de rerum omniũ *vanitate disserentẽ, & eius exẽplo discas teipsum cõtemnere,* Magnificaui *opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos & pomæria, & conseui ea cuncti generis arboribus: extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarẽ syluam lignorum germinantium: possedi seruos & ancillas, multámque familiam habui: armenta quoque & magnos ouium greges vltra omnes qui fuerunt ante me in* Hierusalem: *coaceruaui mihi argentum & aurum, feci mihi cantores & cantatrices: & delicias filiorũ hominum. supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in* Hierusalem. Sapientia *quoque perseuerauit mecum, & omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meũ quin omni voluptate frueretur.* Et *hanc ratus sum partem meã, si vterer labore meo. Cúmque me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaueram: vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi: & nihil permanere sub sole.* Hunc *sanè regem nemo vnquam sapientia, opibus, gloria, imperio, deliciis superauit: nihil tamen ex his omnibus cepit vtilitatis. quin ea potius omnia vanitatum vanitatem appellat.* Cedamus igitur illi, *qui rerum omnium experientiam consecutus est. morẽ illi obtemperemus, ab illo discamus res humanas despicere, & mortẽ cõmentari: vt facilius totã vim bene viuendi in animi robore ac magnitudine & in omniũ rerũ humanarũ contẽptione ac despiciẽtia, & in omni virtute collocemus.* Illis *porrò rebus incũbamus, in quibus nihil est vanũ & inane, sed vera omnia, certa & stabilia: in quibus denique nihil senescit, nihil præterit, sed virent omnia & efflorescunt.* Demus *operam vt præclaris virtutum officiis, sanctissima religione, modestia, ac morum probitate, hinc ad æternas beatorum sedes demigremus.* Et *ad hunc finem assequendum nobis erit adiumẽto* Ecclesiastes, *à quo discemus, deum timere & mandata eius obseruare, humanam esse felicitatem.* Ecclesiast. 2.

ARGVMENTVM PRIMI CAPITIS.

¶ Diuino afflatus numine dixit Ecclesiastes, *humana quæque esse vana & inania. quippe quin nullus est qui non de suo conqueratur labore, aut qui non doleat se minimum pro suis exantlatis laboribus reportasse præmium.* Torquetur *& acrius, quòd cum diligenti studio noua quæque & inaudita perscrutari voluerit, nihil recens & nouum sub sole offenderit.* Vnum *tamen reperit, omnia liuore, auaritia, contentionibus, detractione, & maledicentia, oppleta esse, nec sine frequentissimo stultorum comitatu: quibus sapientes non sine afflictione & edaci tristitia obsistere possunt.* Quandoquidem *vno victo non minus cæteri insurgunt & repugnant, quàm quòd detrũcato ab hydra vno capite, renascatur aliud & repullulet.*

ECCLESIASTAE CAPVT I.

VErba Ecclesiastæ filij Dauid, regis Hierusalem. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo quo laborat sub sole? Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternū stat. Oritur sol, & óccidit, & ad locum suū reuertitur, ibíq; renascens gyrat per meridiem & flectitur ad aquilonem. Lustrans vniuersa in circumitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant. Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est. Iam enim præcessit in seculis, quæ fuerūt ante nos. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in nouissimo. Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Hierusalem, & proposui in animo meo quærere & inuestigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit deus filijs hominum, vt occuparentur in ea. Vidi quæ fiunt cuncta sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. Peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus. Locutus sum in corde meo, dicens, Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Hierusalem, & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici: dedíque cor meum, vt scirem prudentiam atque doctrinam, erroréſque & stultitiam. & agnoui quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eo quòd in multa sapientia, multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & dolorem.

VErba Ecclesiastæ filij Dauid, regis Hierusalem. *Non tam audituri sumus in hoc præclarissimo opere verba quàm sacramenta, nec tam sacramenta quàm secretissima rerum diuinarum mysteria, & oracula prophetica: nósque docebit* Ecclesiastes *pulcherrimis sententiis, rationibus & tropis, q̄p magno animo debeamus fortunā nobis adblandientē, & res humanas despicere.* Vocant Græci ἐκκλησιαστὴν *concionatorem, qui cœtum, id est ecclesiam in vnum congregat.* Nec eius *homiliæ & cōciones in vnū speciatim inflectuntur, sed vniuersatim in omnes.* Etenim *optimi concionatoris munus est, euangelicum sermonem omnibus infundere, nec vni adblandiri, & alteri aduersari: debétque sub oculos ponere* Christum, *inuictissimum ac incorruptissimum concionatorum exemplar, qui nihil simulato animo eloquebatur, nulliúsque personā inspectabat: sed quod ex lympidissimo sui patris fonteebiberat, tuto*

& absq; vlla assentatione proferebat: qui cum ingrederetur templũ dei, & eiecisset sordidissimos negotiatores, & nummulariorũ mensas subuertisset, illorum vitia acerbè obiurgans dixit, & quidem intrepidè, Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncã latronũ. Et interrogatus à Pilato, cõstãti sermone respondit, Ego palam locutus sum mũdo, ego semper docui in synagoga, & in tẽplo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Ille iniuriarum omniũ tolerantissimus, nullius quantumuis superbi principis, comminationes, & obiecta sibi supplicia, ac durissima tormenta reformidabat, soli deo studebat obsequiũ præstare. A cuius vestigijs longè deuiant & exorbitant, qui euangelicã cauponãtes philosophiam, nitũtur toto Marte concionando, assentari principibus, & magnatibus, ac illis, à quibus sperãt se multum & quæstus & pecuniæ assequuturos. quos ausim dicere potius esse Antichristi & Plutonis q̃ Christi nuncios. Quid enim blanda & subdola illorum assentatione, religioni christianæ perniciosius vnquam adferri potuit? quid exitialius & pestilẽtius? Illos siquidem pecuniæ & ambitionis hamo inescatos, magis quàm teterrimã pestem, & tabificum morbũ deuitare debemus. peste siquidem & contagioso morbo solum perit corpus, & extinguitur: perditissima verò illorum adulatione, christianorũ animæ infelicissimè pereunt. Quandoquidem non audent illi ob munera peritura, vel ob gratiam & amicitiam diuitum, quos sibi venantur, vel ob humanam laudem ac gloriam, vel ob metum amittendi terrena bona, hominum scelera etiã flagitiosissima reprehendere. Quòd si magis timerent illum qui potest corpus & animam in gehennam ignis demittere, quàm eos qui duntaxat corpus occidere possunt, magno & constanti animo pro veritate dicenda & tuenda, omnibus obsisterent, nihil ad aucupandam hominum gratiam loquerentur, nihil extimescerent, nihil assentarentur, sed euãgelicam philosophiam & honesta omnia, sancta & vera prædicarent, omniúmque vitia acerrimè insectarentur, & soli deo & bonis placere studerent. Sed de hac communi insania plus satis. Hunc Ecclesiasten in hoc excellentissimo opere differentem, qui nos commonefacit caduca quæq;, fluxa, & vana abiiciẽda esse, Salomonem intelligimus, triplici nomine in sacris literis nominatum. Idida, id est dilectum domini, Cœleth, concionatorem siue Ecclesiasten, & Salomonem, hoc est pacificum, vt diligenter & luculentè adnotauit Hieronymus edisserendo huiusce capitis exordium. Cui & ascribit Hugo à sancto Victore, homilia prima in huiusce capitis explanationem. Habent & hæc nomina rationes sibi subiectas. Dictus est Salomon pacificus, quòd imperio Hierosolymitarum absq; sæuissimo bellorum tumultu præfuerit, populúmq; tranquilla pace sibi deuinxerit obsequiosissimum. quod exprimitur Psalmo 71. in quo ostendũtur munera Salomoni, à Deo, precationibus Dauidis collata. De pace hæc eloquitur Psal. Orietur in diebus eius iustitia, & abũdantia pacis, donec auferatur luna. Et dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Et licet Psalmus ille de prophetia Christi aptissimè sit intelligendus, tamen ad historiã, siue, vt vocant aliqui, literam de Salomone inscribitur. Etiam dicit Augustinus, in Salomonẽ, huius psalmi titulũ prænotari. Quòd

Matth. 21. Esaiæ 56. Hierem. 7. Ioan. 18. Hieronym. Hugo à sancto Victore. Psalm. 71. Augustinus.

autem Salomon dictus sit Dilectus Domini, quē Deus singulari amore dilexit, ostendit Psalmus quadragesimusquartus, Speciosus forma præ filiis hominū, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternū. In hoc mira erga Salomonem dei beneficentia & dilectio monstratur. Et quod unquam maius beneficium & excellentius illi impartiri potuit, quàm quòd eum sacro lætitiæ oleo inunxerit? Dilexisti, inquit, iustitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te deus, deus tuus oleo letitiæ præ consortibus tuis. Etiam liber Regum tertius, ostendit quàm propēsus fuerit dominus in Salomonē: cui, cum postularet sibi dari à domino, cor docile, & sapientiam ad indicandum populum, & ad discernendum inter bonum & malum, dixit, Et dedi tibi cor sapiens & intelligēs intantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Quòd autem vocitatus sit Salomon, Ecclesiastes, de seipso profert testimoniū in exordio huiusce præclari operis. Et iuxta numerū triū vocabulorum, tria ædidit volumina, Prouerbia, Ecclesiasten, & Canticū Cāticorum. In Prouerbijs, paruulum instituit, & pulcherrimis sententiis, honesta vitæ officia docet. In Ecclesiaste erudit virū prouectæ & maturæ ætatis, & qui noxios animi affectus reuulsit: monétque in rebus humanis nihil esse perpetuum, sed caduca omnia, fluxa & vana, quæ ocyssimè intereunt, & euanescunt. In Cantico Cāticorum, hominem vitæ sanctimonia, & omnibus virtutum numeris absolutissimū, qui nouit omnia præter dei cultum, contēptim despicere, sponsi iungit amplexibus. Etenim nisi humana quæque abiecerimus, & deliciis huius mundi, & pompis renunciauerimus, nósque pœniteat tantopere carnalibus affectibus inseruisse, non poterimus dicere, Osculetur me osculo oris sui. Hoc docendi institutum, deberent & nostri philosophi imitari, si Platoni & Hieronymo fides sit adhibenda, licet secus quidam procedant: vt quos susceperunt instituendos, primum docerent ethicen, id est moralem philosophiam. Nam maximopere & primum de moribus habenda est ratio. Loco huiusce sanctissimi instituti, suos docent discipulos, primò argutos conficere syllogismos, & miris technis, ac vafris captiunculis respondentem irretire, & irretitum obuoluere. Deinde profiteātur logicen & physicen, & hisce disciplinis, ac artibus liberalibus rectè educatos, tandem ad metaphysicen & theologiam euehant & perducant. Sed redeo ad institutū. Si quis velit spiritalem amplexari intelligentiā, poterit commodè nomina Salomonis Christo adaptare, qui verè pacificus dicitur, & dilectus Dei patris, & Ecclesiastes. Pacificus quidem, quòd medio pariete disrupto, & compositis inimicitiis, fecerit vtraque vnum: & dixerit suis discipulis, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. & rursus, Pax vobis. Quod verò suo patri sanctissimo, dilectus fuerit, vox illa paterna testatur, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cōplacui, ipsum audite. Testantur passim euāgelia, ipsum esse optimū Ecclesiasten. qui primū rectè vixit, deinde docuit, & cōfertissimā turbā ad suā sanctā prædicationē & euangelicā philosophiā pellexit. Vnū diligenter attende, diuersos esse istorū triū Salomonis librorū, titulos: in Prouerbijs notatur, Prouerbia Salomonis filij Dauid, regis Israel: in Ecclesiaste verò, Verba Ecclesiastæ filij Dauid, regis Hierusalē: in Cāticis, Canticum Canticorū Salomonis. Quòd autē Salomon fuerit filius Dauid, testatur primum

Psalm. 44. — 3. Regum 3. — Cantic. 1. — Ephes. 2. — Ioan. 14. — Ioan. 20. — Matth. 3. & 17. & 2. Pe. 1

caput 3.Regum: q̃ vero Dauid rex fuerit Hierusalē, indicat 2.caput eiusdem 3.libri, vbi dicitur, Dies quibus regnauit Dauid super Israel, quadraginta anni sunt, in Hebron *regnauit septem annis, in* Hierusalem *trigintatribus. Salomon autem regnauit in Hierusalem super omnem Israel quadraginta annis,* Vanitas vanitatū, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatū & omnia vanitas. *Omnia ridet, despicit, & auersatur Ecclesiastes, præter diuinam religiouem, & obsequium deo impensum.* Hominum *deliria & vana quæq; cogitata, vbique locorum detestatur psalmographus, Vana, inquit, locuti sunt, vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde & corde locuti sunt. Et rursum, Odisti obseruantes vanitates, superuacuè. Et multo fusius declarat vanitatem vanitatum, dicens, Veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur: Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Et alibi, Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Et Paulus exprimit ad Romanos, creaturam humanā vanitati obnoxiam esse, dicens, Vanitati enim creatura subiecta est, non volens. Adde quòd in Prouerbiis dicit Salomon, Vanitatem & verba mendacij longe fac à me. Et Esaias, Omnes iniusti, & vana opera eorum. Et quid vanius vnquam excogitari potuit, quàm tuba canere cum facimus eleemosynam, aut orare vt videamur ab hominibus, aut intueri festucam in oculo fratris sui, & trabem in oculo suo non videre? Aut quodnam vanitatis monstrum, hoc præstantius est? dilatare phylacteria sua, & magnificare fimbrias, & expetere primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & primas in foro salutationes, & vocari ab hominibus* Rabbi. *Omnia porrò maledictionū genera in eodem Matthæi capite expressa, suum habent in ditissima vanitatum officina locum. nec ab hac vniuersali assertione, Omnia vanitas, dissidet quod apud Esaiam capite 40 clamat Ioānes Baptista, Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fœnū, & cecidit flos, quia spiritus domini sufflauit in eo. verè fœnū est populus. Exiccatū est fœnum, & cecidit flos: verbū autem dei nostri manet in æternū. Verum admirabitur quispiā, si cuncta quæ fecit Deus sint valde bona, quomodo omnia vanitas, & non solū vanitas, sed vanitatū vanitas? ascribes ne vanitatē Deo, quòd in Exodo legimus, glorificatum vultum Mosi, intantū vt filij Israel in eum aspicere non possent? Huic respondet obiectioni* Hieronymus, *dicēs, Possumus igitur & nos in hunc modū, cælum, terram, maria, & omnia quæ in hoc circulo cōtinentur, bona quidē per se dicere: sed ad deum comparata, esse pro nihilo. Et quomodo si igniculū lucernæ vidēs, cōtentus essem eius lumine, & postea orto sole non cernerē quod lucebat, stellarum quoq; lumina iubare viderem solis abscondita aspiciens elementa, & rerum multiplicem varietatem, admiror quidem operū magnitudinem, recogitans autē omnia pertransire, & mundum suo fine senescere, solúmq; deum illud semper esse, quod fuerit, cōpellor dicere non semel, sed bis, Vanitas vanitatū, & omnia vanitas, aut, vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia dei. Et in 24.caput Esaiæ, edisserens hunc locū, Attrita est ciuitas vanitatis, existimat Salomonem dixisse, Vanitas vanitatum & omnia vanitas, de cælo & terra, & de omnibus quæ terrena sunt. Sed intellige hæc, considerādo naturam rerum spiritalium & corpo-*

Marginal notes: 3.Regum 1. 3.Regum 2. 3.Regū 11. Psalm.11. Psalm. 30. Psalm.38. Psalm.118. Roma.8. Prouerb.30. Esaiæ 41. Matth.6. Matth.7. Matth.23. Esaiæ 4 Gene.1. Exod.34. Hieronym. Esaiæ 40. Sapien.13. Esaiæ 24.

ralium. Vanitas vanitatum Græcè dicitur ματαιότης ματαιοτήτων.*Hieronymus tamen dicit, exceptis 70 interpretibus omnes ex* Hebræa *veritate transtulisse* ἀτμὸς ἀτμῶν, *quod nos possumus, vaporem fumi & auram tenuem, quæ cito resoluitur, appellare. Quòd si omnia rerum humanarum studia, & negotia, vana sint, & ærumnarum plena, quid igitur desiderare debemus?* Eam *scilicet vitam quæ non habet vanitatem sub*
Augustinus. *sole, vt dicit* Augustinus *libro* 20.*de ciuitate* Dei,*capite* 3.*qui plurimum & doctrinæ, & authoritatis* Ecclesiastæ *attribuit, quem* Iudæi *summo cum honore receperunt in* Ca*none sacrarum literarum.* Quid superest homini in omni labore suo, quo laborat sub sole? *Optimum philosophorum in tractandis disciplinis institutum imitatur, qui solent ab vniuersalibus ad particularia progredi. Primum dixit* Ecclesiastes *vniuersali sermone, omnia à deo creata, esse vanitati subdita, si naturam illorum consideremus.* Nunc *speciatim ad hominem, suum inflectit sermonem. Quid tantopere te discrucias?* Vt *quid tam ardenti curarum æstu desudas? & tot tantísque curarum fluctibus obrueris?* Nescis *insane, nescis, te frustra tantum laboris insumpsisse? & operam & oleum vano labore perdidisse? Quid tibi profuit peruigili cura, & indefesso studio, tantas accumulasse diuitias? tam anxiè educasse liberos? tantáque tristitia ambijsse honores? magnifica extruxisse ædificia?* Nónne *hæc omnia vana sũt, & stulta?* Debueras *miser meminisse te esse puluerem, & non hominem, téque breui moriturum, & aliquando tuæ vitæ rationem redditurum.* The*saurizasti, & nescis, stulte, cui congregasti.* Hac *no*
Lucæ 12. *cte* Deus *repetet animam tuam, quæ autem parasti, cuius erunt? Quid diues ille, superbus tamen & elatus, cuius ager fertilissimus, ei vberes fructus pepererat, pro suis inquietis laboribus, præmij vnquam assequutus est? dicebat ille extructis ingentibus horreis,* Anima *mea, his tibi partis fruere delicijs, requiesce, comede, bibe, epulare. cui tãdem deus dixit,* Stulte, *hac nocte animam tuam repetũt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in* Deum *diues. Quid igitur opus est ardentissimo laborum æstu aduri? cum nostris plerunque laboribus & laboriosis exercitationibus dolor intercurrat.* Nonnunquam *impelluntur, feruntur, abijciuntur, cadunt.* Et *ipse labor quasi callũ quoddã obducit dolori, & euenit etiam sæpissime, vt quæ magno labore nobis comparauimus, vna horula absumantur & pereant.* Generatio vadit, & generatio venit, & terra in seculum stat. Al*ij decedunt è vita, alij nascũtur, morituris succedunt victuri. tuo interitu, tuóque lapsu gestit, qui tibi succedere debebat.* In*hiabat & ille tuo cadaueri, antequam vita fuisses defũctus.* Sed *quid hac vanitate vanius excogitari potest, quàm terram manere, quæ hominũ causa facta est, & ipsum ho-*
Lyranus. *minem terræ dominũ, in puluerem repente dissolui?* Dicit Lyranus, *terram stare in æternum, propter eius centrum & partes inferiores: partes autem superiores, alterantur. & permanet immobilis à parte post, & non ab anteriore parte. quia est creata. Quòd si*
Esaiæ 13. *dixerit quispiam,* Dicit *dominus in* E*saia,* Mouebitur *terra de loco suo, propter indigna*
Esaiæ 24. *tionem domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius.* Iterum, Ecce *dominus dissipabit terram, & nudabit eam.* C*õfractione confringetur terra, contritione conteretur terra. non igitur terra perpetuò stabit.* Ex *illa authoritate non fit recta consequutio. so-*

lum innuit dictum illud, terram agitari & concuti, cum dies domini crudelis aduenerit, & furor eius vniuersa vastarit. Aut est hyperbole, quòd scilicet ab indignatione dei, terra moueatur, & quòd elementa omnia iram creatoris agnoscant. Aut dicas cum diuo Dionysio Carthusiano, Dominus in extremo iudicio dissipabit terram, auferendo ab ea suæ existentiæ formam accidentalem, non autē imminuēdo eius substantiam. Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur. *Ab ortu solis & occasu, docet humanam ætatem labi & interire. Et licet sol nobis ad splendidissimam lucem datus, secūdum philosophum, perenni vertigine intorqueatur, statam tamen in eodem gradu sui orbis māsionem minimè sibi vendicat, nec eius diurnus motus permanet, sed perit. Ab occidente in zodiaco sub linea ecliptica fertur versus meridiem in orientem, deinde recurrit in occidentem, licet motu accidentario, scilicet motu primi mobilis, feratur quotidie ab oriente versus meridiem in occidentem, 24 horarum spatio. Ocyssimè oritur sol, ocyus occidit. Ocyssimè nascuntur homines, ocyus intereunt & emoriuntur. Vbi semel perierit homo & occiderit, non potest rursus oriri: sol verò vbi occiderit, rursus oritur. Tumida hominum gloriola, flos est pulcherrimus, qui mane fragrātissimū profert odorem, attamen ad vesperam arescit, suúmque natiuum virorem amittit.* Ibíque renascēs gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem. Lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. *Astronomicis hæc indigēt disciplinis, nec qui illarum præsidio destituitur, potest consequi plenè quid hæc sibi volunt. Sol æstiuo tempore vicinus est septentrioni, & decurrit signa septentrionalia: hyeme verò proximus est meridiei & austro, & sex decurrit signa australia siue meridionalia. Et hic spiritus gyrans gyrando, authore Hieronymo, sol appellatur, quòd animet, & spiret, & videat, & annuos orbis cursus expleat, vt ait poeta tertio Aeneidos, Interea magnum sol circumuoluitur annum. Et sexto Aeneidos, Spiritus intus alit, totámque infusa per artus, Mēs agitat molem: & magno se corpore miscet. Et attende, solem maximè eleuari, quando est in Cancro: nec potest magis accedere ad zenith capitis nostri. deinde declinat ad signa australia, cuius maxima declinatio, est arcus coluri interceptus inter punctum solstitij æstiualem & æquinoctialem, aut inter punctum solstitij hyemalem & æquinoctialem. Nec sol dicitur renasci, quòd sit alius & alius sol, sed quia idem apparet de nouo in punctis orientis & occidentis. Et dicitur spiritus, non quòd habeat animam, sed quia suo motu, suáque influentia nobis suppeditat vitam, tanquam causa vniuersalis. Sol enim & homo, 2 Physicorum, generant hominem: etiam dicit philosophus 10. cap. 2. de generatione & corruptione, quòd per accessum solis ad nos, & recessum, fiunt generationes & corruptiones. Sol dicitur in suos circulos reuerti, quia non tantum vnū habet orbem siue circulum, sed tres diuersos, quorum supremus secundum superficiem conuexam, est mundo concentricus, id est, eius centrum, est centrum mundi: & secundum superficiem concauam est eccentricus. quia eius centrum, est aliud à centro mundi. Infimus solis orbis, ediuerso se habet. quia secūdum superficiem conuexam est mundo eccentricus, & secundum concauam est concentricus. Tertius orbis, secundum vtranque superficiem est mundo eccentricus, & quidem simpli-*

Dionysius Carthusian.

Hieronym.

citer.& hic censetur, orbis solem deferens, ad cuius motum, sol mouetur. Diligenter de
Lyranus. hac re scripsit Georgius Purbachius in Theoricis planetarum. Nec accedo Lyrani sententiæ, dicētis solem habere plures circulos quibus torquetur, deferentem scilicet, æquantem, & epicyclū. Non enim habet epicyclū, sed alij planetæ. Sed plus satis de istis disciplinis, quæ tamen plurimū faciunt ad intelligentiā Ecclesiastæ. Et vti sol cita vertigine in suos reuertitur circulos, nec vnquā in vna & eadem sede perpetuo quiescit: ita homo vanitatum princeps, & caput, in suos infrænes & inquietos affectus reuertitur,
Iob 13. quibus vehementer læditur, nec vnquam in eodem statu permanet. Omnia flumi
Hieronym⁹ na intrant in mare, & mare non redundat. Enarrans hunc locum Hieronymus, dicit quosdam putasse, aquas dulces quæ in mare fluunt, vel ardente desuper sole consumi, vel salsugini maris esse pabula. Ecclesiastes tamen noster, & ipsarum aquarum conditor, eas dicit per occultas venas, ad capita fontium regredi, & de matrice abysso in sua semper ebullire principia. Nomine maris aut torrentis, vt Ecclesiasten secundum Hebræos per metaphorā explicemus, significantur homines, quòd in terram, de qua sunt sumpti, redeant, & in puluerem reuertantur. & torrentes vocentur, non flumina, eo quòd cito intereant, nec tamen impleatur terra multitudine mortuorum. Mare eam habet voracissimam naturam, vt quod in eius gurgitem, verius voraginem, inciderit, deuoret, & nunquam abundet. Plautus non absurdè dixit, meretricem esse mare, imò non est mare, sed mare acerrimum: omnia absumit, & nunquam satiatur. Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. Facilius multo & apertius vertit Hieronymus, Omnes sermones graues, non poterit vir loqui. Quis tam felici natus est ingenio, vt sublimia & abstrusissima disciplinarum omnium mysteria, & arcana possit intelligere? Quis deniq; germanam sermonum omnium & literarum proprietatē sibi habet exploratissimam? Etenim ardua quæq; non penetrant hominum ingenia. Fatiscit homo sub onere disciplinarum, & quo magis nititur difficillima quæq;, & præsertim rerum diuinarum studia consequi, eo minus attingit, tardiúsq; progreditur & stupidius. Nec in capessendis disciplinis satiatur oculus visu, nec auris auditu. Et licet vterque sensus sit organum ad nanciscenda studia aptissimum, inuentione tamen visus præcellit auditū. Hic in sua cellula, quæ dicuntur, recondit: ille molitur, excogitat, & inuenit multas rerum differentias, eásque manifestat. Nobis hac in re fauet
Aristoteles. philosophus, primo Metaphysices, capite primo. Quis etiam non plane fatebitur oculū auari, nullis vnquam posse satiari diuitiis? cui tam deest quod habet, quàm quod non habet. quo nihil est contemptibilius, nihilque abiectius. Nec qui prurit in libidinem & efferuescit, potest Venere sub oculos posita satiari. Nec rerum nouarū appetentissimus, & curiosissimus, potest abunde, auditis gestire. Quo plura audit, eo auidius optat recentiora & sublimiora audire. Quid est quod fuit? ipsum quod futurū est. Quid est quod factū est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est. Iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos. Nihil continet structissima mundi fabrica nouum, nec ortum solis & occasum, nec elementa, nec cursum fluminum nec magnitu-

dinem oceani, nec rerum generationẽ, quod non iam antè fuerit. Ab initio enim mundi & homines nati & mortui sunt, & terra super aquas constitit librata, & solis ortus occubuit. & percurrendo per singulas animalium species, nihil recens offendes. Et huic *simile est sententiæ quod dicebat* Comicus poeta, Nihil *est dictum quod non sit dictum prius: tametsi politius dici possit, & purius.* Et cũ Donatus, Hieronymi *præceptor doctissimus, versiculum illum exponeret, dixit,* Pereant, *qui ante nos, nostra dixerunt.* Quòd *si in sermonibus nihil nouum dici possit, quãto magis in administrationẽ? quæ ab initio mundi sic consummata est & perfecta, vt requieuerit* Deus ab operibus *suis die septimo.* Nec *quis potest dicere,* Hoc *nouũ est. nam quicquid nouũ conabitur ostendere, iam in prioribus seculis fuit.* Nec *putemus (vt inquit* Hieronymus) *signa & prodigia quæ arbitrio dei noua in mũdo fiunt, in prioribus seculis iam facta fuisse: & locũ inuenire* Epicurũ, *qui asserit per innumerabiles periodos, eadẽ, & eisdem in locis, & per eosdem fieri: alioqui &* Iudas *crebro prodidit* Christũ, & Christus *sæpe passus est pro nobis. Sed est dicendum, quòd ex præscientia & prædestinatione dei, iam ea facta sunt, quæ futura sunt.* Qui *enim electi sunt in* Christo, *ante constitutionẽ mundi, in prioribus seculis iam fuerunt, intellige secundum diuinam præscientiam, & non simpliciter.* Dicit *enim* Paulus *ad* Ephesios, Elegit *nos in ipso, ante mũdi constitutionẽ.* Et *cum electio sit eorũ quæ sunt, aut absolutè, aut quouis modo, ideo oportuit apostolos quodammodo fuisse ante mundi constitutionem: quanuis nondum actu fuerint vocati.* Astipulatur & Hieronymo Augustinus *libro 12 de* Ciuitate *dei, capite 13.* De *illis tamen miraculis & monstris vnum dicit, quod videtur esse à* Hieronymo *diuersum, sed forsitan non est,* Quòd *miracula & monstra secundum id quòd generaliter miracula & monstra sunt, & vtique fuerunt, & erunt.* Et *paulopost dicit,* Absit *à recta fide, vt his* Salomonis *verbis illos circuitus significatos esse credamus, quibus illi putant sic eadem temporum temporaliúmque rerum volumina repeti: vt, verbi gratia, sicut in isto seculo* Plato *philosophus, in vrbe* Atheniensi, *in ea schola quæ* Academia *dicta est, discipulos docuit: ita per innumerabilia retro secula, multũ prolixis quidem interuallis, sed tamen certis, & idem* Plato, *& eadem ciuitas, eadémque schola, iidémque discipuli repetiti, & per innumerabilia deinde secula repetendi sint.* Hæc *ille.* Vanam *illam & absurdam opinionẽ secuti sunt* Platonici, *quibus videtur* Origenes *omnino fauere, in libris* Periarchon: *qui dicebat, ante hũc mundum, fuisse alium mundũ, & post istum, aliũ futurum.* At *dicet aliquis,* Dicit Christus *in euangelio* Ioannis, Pater *meus vsque modo operatur, & ego operor.* Videtur *igitur quòd* Christus *cum suo patre nouum opus producit, nouásque animas.* Augustinus, *epistola* Hieronymo, *de origine animarũ, contendit hunc* Ioannis *locũ cum illo* Geneseos *cõponere,* Et *requieuit deus die septimo ab operibus suis.* Requieuit *quidẽ à nouis creaturis producendis, siue creandis: sed modo operatur pater administrãdo, & omnia à se creata regẽdo & conseruãdo: licet nouas creet animas.* Dicerem *ego, quòd requieuit ab operibus suis die septimo, quòd nullam de nouo secundum substantiã producit speciem, pulcherrimæ mundi structuræ necessariã.* Et *licet nouã producat animam, non tamen secũdum substantiam & speciem rei, sic quòd*

Gene. 2. Hieronym. Ephes. 1. Augustinus. Origenes. Ioan. 5. Augustinus.

similis nõ præcesserit. ¶ Non est priorum memoria, sed nec eorum quidem quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in nouissimo. *His cohæret quæ Sapientiæ 2 prodita sunt, Nomen nostrũ obliuionẽ accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operũ nostrorũ. Vt quid igitur tantã nobis arrogamus gloriã, pro rebus præclarè gestis? Quid principes expectant, non solum à suis subditis, verũetiam à toto terrarum orbe, pro suis illustrissimis victorijs? Nónne illorũ monimenta pereunt? nónne abeunt aura tenui leuiora? Offuscant plerunq; qui illis succedunt, eorum gloriã, triumphos, & insignia stemmata. Decidit illorum memoria, obliteratur & euanescit. & longè facilius, cum prosperis succedunt aduersa, & obtingunt. Vna obtenebrat horula gloriã multis annis conquisitã. frustra conãtur doctissimi quique suos labores, sua studia, suósq; conatus extollere. quandoquidem illorũ opera non carẽt aut suspicione aut inuidia, & morte extinguntur. Nolim tamen dicere, quin optima doctissimorum hominũ studia, apud doctos digna sint immortali & æterna commendatione. Potissimum intellige hunc Salomonis locum, de his qui operãtur iniquitatem, & improbè viuunt, quorũ perit memoria. & hoc innuit* Iob 4 *capite sui operis, dicẽs,*

Sapientiæ 2.

Iob 4. *Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante deo perijsse, & spiritu iræ eius esse consumptos. Et Prouerbiorũ 10 capite dicit*

Prouerb.10. *Salomon, Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorũ putrescet. Dicit quoq; Ecclesiasticus capite 10, Memoriam superborũ perdidit deus, & reliquit memoriam humilium sensu. Et quia præterita apud nos abscondit obliuio, complebitur illa sententia,*

Ecclesiast.10

Matth.20. *Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas: & illa Christi sententia, Erũt primi nouissimi, erit omnibus manifestissima. Omnia, vt perstringam, & præterita & futura peribunt silentio.* ¶ Ego Ecclesiastes fui rex Israel, in Hierusalẽ, & proposui in animo meo quærere & inuestigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit deus filijs hominum, vt occuparentur in ea. *Ecclesiastes amentissimã hominum stultitiam longo tempore expertus, in seipso deplorat. qui connixus est, non sine summa & anxia solicitudine, & pertinaci studio, perdiscere cuncta quæ sub sole fiunt. In istarum rerũ inuestigatione suam triuit operam & perdidit, eúmq; suæ vitæ infeliciter transactæ pœnituit. Idcirco nõ absurdè aiunt Hebræi, hunc librum Salomonis esse, pœnitentiam agentis, quòd in sapientia, diuitijsq; confisus, per mulieres offenderit deũ. Dedit ergo Ecclesiastes primo omniũ mentem suam ad sapientiã requirendam, vt dicit* Hieronymus: *& vltra licitũ se extendens, voluit causas rationésq; cognoscere, quare paruuli corriperentur à dæmone, cur naufragia & iustos & impios pariter absorberent: vtrũ hæc & similia casu euenirẽt, an iudicio dei. & si casu, vbi prouidentia dei? si iudicio, vbi iustitia dei? Hæc, inquit nosse desiderans, intellexi superfluam curã & solicitudinem per diuersa cruciantem, à deo hominibus datam, vt scire cupiant, quod scire non licitũ est. Hæc ille. De sapientia*

Hieronym.

3.Regũ 10. *Salomonis fit mentio 3. Regũ capite 10. vbi dicitur, Magnificatus est ergo rex Salomon*

3.Regũ 11. *super omnes reges terræ, diuitijs & sapientia. Et 11. caput meminit eius lapsus & spurcissimæ erga mulieres libidinis, quibus copulatus est ardẽtissimo amore. Lege apud Cy-*

Cyrillus.

rillum libro 7 contra Iulianũ, quonam pacto Salomon excidit per voluptatem, etiam in ipsa senectutis via, ætate & mente iam deflorescente. Permisit deus, vt qui vanis rerũ humanarum studijs & disciplinis occuparentur, illísq; se omnino addicerent, caderẽt in passiones ignominiæ: quos sanè pro nephandis sceleribus tradidit in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Debuit Salomon à pueritia contemptis ethnicæ sapiẽtiæ studijs, fieri stultus vt esset sapiens. Nam dicit Paulus 1. Corint. 3, Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia huius mundi, stultia est apud deum. Lege eundem Paulũ 1. cap. 1. Corint. & Iob 5. ¶ Vidi cũcta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. *Pro afflictione apud 70 interpretes legitur προαίρεσις. sed authore Hieronymo, melius sonat voluntatem, q̃ præsumptionem. Considerauit Salomon & perspexit tota ingenij virtute, omnia quæ sub cælo sunt, esse vanitati subdita. Et potissimum vanitatem siue mutabilitatẽ in istis rebus terrenis perpendimus. Nec tamen addubito, quin angeli aliquãdo fuerint vanitati & peccato obnoxij, naturam illorum spectando. Nec donũ dei aufert simpliciter naturam ad malum procliuem. Vult igitur innuere Ecclesiastes, mundana quæq; vanitate, malitia & præsumptione spiritus afflictari. Quis non superbè de suo præsumit spiritu, ac ingenij acrimonia? nemo est qui nõ sua extollat & prædicet.* ¶ Peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus. *Legit Hieronymus, Peruersum non poterit adornari, & imminutio nõ poterit numerari. Et ita legit Augustinus libro 2 contra epistolã Parmeniani, capite 16. vbi dicit, Sacramentũ quod quispiam accepit, non valere ei ad ornatum, si in fide peruersa persistat: sed potius ad supplicium, cum tamen ipsum sacramentum per se etiam in peruerso, quem non ornabat, sed iudicabat, integrum permaneret. Tot tantísq; mundus scatet vitijs, vt ad integrum sui pristini status splendorem redire non possit. Nec vulneratum hominis arbitrium, potest suam illibatam integritatẽ, & pristinam dignitatem recuperare. Nec possunt assueti vitijs, absq; diuina ope, à sua fœda consuetudine & inueteratis sordibus diuelli. Nec imprudenter dicebat Pythagoras, malum esse infinitum, bonum verò finitum. Pauci virtutem & diuina sapientiæ studia colunt: infiniti pene, portentosam ignorantiæ belluam non tam sequuntur, quàm illustrant. Hi sunt insignes mundi tituli, multorum stultitia, elatio, superbia, ambitio, luxuria, & inanis gloriæ cupiditas. Scitè & appositè dixit Plautus, malum tanquam herbam irriguam succrescere. Quòd autem dicit, stultorum infinitum esse numerum, hyperbolicè dictum putes, ac si diceret, Multi sunt, stulti, & longe plures, quàm docti & sapientes.* ¶ Locutus sum in corde meo, dicens, Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Hierusalem, & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici: dedíq; cor meum, vt scirem prudentiam atque doctrinam, erroréſque & stultitiam. *Quis vnquam hominum pulcherrimas animi dotes Salomoni collatas, assequi potuit? Quis illi aut æquari, aut præferri vnquam potuit? Nullus sanè. Refert abunde 3 caput 3 Regum, dona sapientiæ in vno Salomone insigniter reperta. Nec tamen, vt scribit Hieronymus, fuit sapientior Abraham & Moyse, & cæ-*

Roma. 1. 1. Corinth. 3. Hieronym⁹ Augustinus. 3. Regum 3.

teris sanctis: sed his qui fuerunt ante se, in Hierusalem. Et quia cōtraria contrariis intelliguntur, non minus desudauit Salomon, vt cognosceret huius mundi errores, deliria, inscitiam, quàm prudentiam & sapientiam: vt ab illis abhorrendo, soli sapientiæ diuinæ tandem se addiceret & deuoueret. Etenim summa sapientia est, carere stultitia: nec potest quis ea carere, nisi illam intellexerit. & multa noxia à deo creata sunt, vt ea euitando, erudiamur ad nanciscendam sapientiam. Et agnoui quoque quòd in illis esset labor, & afflictio spiritus. eo quòd in multa sapientia, multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem. *Non tam videor audire verba, quàm oracula: nec tam oracula, quàm sapientiæ mysteria & arcana. Quis enim optima & politissima excutiendo studia, non acerbè torquetur, ac vehementer dolet, se non posse sapientiam in abdito latentem eruere, & extremo labore consequi? Nos in hac arena diuexant tropi, allegoriæ, sententiarum pondera, difficiles scrupi, & verborum proprietates, sensúsque imperij. Et quò quisque doctior est, eò magis desudat in discutiendis literarum nodis ac scrupis, magísque reformidat, sua in publicam lucem ædere opera, & sui ingenij facere specimen. Nec tamen balbos pudet, suam balbutientissimam & inscitiam & barbariem, in publicum efferre, verius effutire. Et quanto magis quis sapientiam fuerit consecutus, tanto plus indignatur, subiacere vitijs. Nam illud*
Sapien.6. *audit, Potentes potenter tormenta patientur. & cui plus creditur, plus exigitur ab eo.*
Lucæ 7.. *Nec tamen putemus laborem esse vanū in sacris literis, sacrísq; concionibus constitutū.*
Sapien.3. *Nam Sapiētiæ 3 dicitur, Bonorum laborum gloriosus est fructus. Ad hunc locum, Qui addit scientiam, addit & laborem, dicit Augustinus, libro vno de spiritu & anima, ca*
Augustinus. *pite 49, Quanto magis homo sua mala intelligit, tanto amplius suspirat & gemit.*

ARGVMENTVM SECVNDI CAPITIS.

Contendit aliquando Ecclesiastes perquirere vias omnis, quibus posset affluere diuitijs: cum tamen ad nauseam vsq; illis lasciuiuit, & arrogantior factus est, opum aceruos & rerum terrenarum fortunam nimis sibi arridentem despexit, & in vanitatum officina reponendam esse censuit. Deflet vehementer, nimium sui amorem, quòd nimis sibi placuerit, cum in delicijs, tum in ædificijs insolenter & profuse extructis. Nec potest sibi temperare à lachrymis, quòd suos labores, industriam, suáque studia omnia in rebus vanis imprudentissimè collocauerit.

CAPVT SECVNDVM.

DIxi ergo in corde meo, Vadam & affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoq; esset vanitas. Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis? Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnē meā, vt animum meū transferrē ad sapiētiam, deuitarémq; stultitiam, donec viderem quid esset vtile filijs hominum, quod facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ. Magnificaui ope-

ra mea,& ædificaui mihi domos,& plantaui vineas:feci hortos & pomœria,& conseui ea cuncti generis arboribus. Extruxi mihi piscinas aquarum,vt irrigarem syluam lignorum germinárium. Possedi seruos & ancillas,multámq; familiam habui:armenta quoq; & magnos ouium greges vltra omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem. Coaceruaui mihi argentum & aurum,& substátias regum & prouinciarum.Feci mihi cantores,& cantatrices,& delicias filiorum hominum:scyphos,& vrceos in ministerio ad vina fundenda:& supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Hierusalem.Sapientia quoque perseuerauit mecum.& omnia que desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur,& oblectaret se in his quæ præparaueram.Et hanc ratus sum partem meam,si vterer labore meo.Cúmq; me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerát manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaueram,vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi,& nihil permanere sub sole.Transiui ad contemplandam sapientiam,erroréfq; & stultitiam.Quid est,inquam, homo vt sequi possit regem factorem suum? Et vidi quòd tantum præcederet sapiētia stultitiam,quantum differt lux à tenebris.Sapientis oculi in capite eius:stultus in tenebris ambulat.Et didici quòd vnus vtriusque esset interitus,& dixi in corde meo, Si vnus & stulti & meus occasus erit:quid mihi prodest quòd maiorem sapientiæ dedi operam? Locutúsq; cum mente mea, animaduerti quòd hoc quoque esset vanitas.Non enim erit memoria sapientis similiter vt stulti in perpetuum:& futura tempora obliuione cuncta pariter operient.Moritur doctus similiter vt indoctus:& idcirco tæduit me vitæ meæ,videntem mala vniuersa esse sub sole,& cuncta vanitatem & afflictioné spiritus. Rursus detestatus sum omnem industriam meam,qua sub sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro vtrum sapiens an stultus futurus sit:& dominabitur in laboribus meis quibus desudaui & solicitus fui.& est quicquam tam vanū? Vnde cessaui,renunciauítq; cor meum vltrà laborare sub sole. Nam cum alius laboret in sapientia & doctrina & solicitudine,homini otioso quæsita dimittit.& hoc quoq; vanitas & magnum malum.Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo,& afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cūcti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt,nec per noctem méte requiescit.Et hoc nónne vanitas est? Nónne melius est comedere,& bibere,& ostédere animæ suę bona de laboribus suis? & hoc de manu dei est.Quis ita vorabit & delicijs affluet vt ego? Homini bono in cōspectu suo dedit deus sapientiam,& scientiam,& lætitiam:peccatori autē dedit afflictionem & curam superfluam, vt addat & congreget, & tradat ei qui placuit deo.sed & hoc vanitas est & cassa solicitudo mentis.

DIxi ergo in corde meo, Vadam & affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas. *Eorum scholam inuisere voluit, qui miris technis, ac summa diligētia norunt largissimos sibi comparare thesauros, & qui nihil aliud animo excogitant quàm diuitijs locupletari. Miserum tamen Ecclesiastes agnouit suarum fortunarū exitum. Nec huic sententiæ diuersum est, quod Sapientiæ 2 scribitur, Venite fruamur bonis quæ sunt, vino precioso & vnguentis nos impleamus. Coronemus nos rosis antè quàm marcescāt. nullum pratum sit, quod non pertrāseat luxuria nostra. Dicit ad hunc locum explicandū* Hieronymus, *Postquam in multitudine sapientiæ, & adiectione scientiæ, laborem & dolorē deprehendi, & nihil aliud nisi cassum, & sine fine certamen, transtuli me ad lætitiam, vt luxu fruerer, congregarem opes, diuitijs abundarem, & perituras voluptates caperem, antequā morerer. Sed in hoc, vanitatē meam perspexi, dum præterita voluptas non iuuat præsentē, & exhausta non satiat. Hæc ille. Aliquādo Salomon expetiuit à deo modestissima dona, nec in illa interpellatione laborabat mentis insania. Precatus est primum, vt dominus vanitatē & verba mendacij longè à se faceret. Alterum, ne ei dominus daret mendicitatem & diuitias, sed tantū victui necessaria. Alio tempore furore correptus, & voluptatū dulcedine captus, sibi persuasit, vt suam in ciborum cupedijs, ac in omnigena deliciarū varietate, vitā transigeret. & cum studuit ardentissimo studio diues fieri, incidit in laqueos diaboli. Dicit enim* Paulus *ad* Timotheum, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationē, & in laqueum diaboli. Quòd si Salomon illam audisset* Christi *sententiam, Facilius est camelum intrare per foramē acus, quàm diuitē intrare in regnū cælorū, suas prorsus opes despexisset. De possessionibus Salomonis, & ciborū apparatu lege 4. cap. 3. Regum.* Risum reputaui errorē, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis? *Qui risu dissoluto & cachinnis subsannant vnumquenque, & contēnunt, sua aliquādo sentientes errata, & infantissimā stultitiā, in maximum scelus præcipitātur. Et quemadmodum qui circūferuntur omni vento doctrinæ, sunt instabiles, & in diuersa fluctuant: sic qui intemperato risu cachinnant, errore seculi raptantur. Pertimescant importuni derisores, illam Christi sentētiam, Væ vobis qui ridetis nūc, quia lugebitis & flebitis. Et frustra illos aliquādo cachinni arguimus. Nam Prouerbiorum 9. scriptum est, Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitarémque stultitiā, donec viderem quid esset vtile filijs hominū, quo facto opus est sub sole, numero dierum vitæ suæ. *Nemo nescit vinum esse incendium libidinis, & originē incestus. Idcirco ne incalescamus vino, nos monet Paulus Ephe. 5. c. dicens, Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Prudenter dixit Salomon Prouerbiorum 23, Vinum blandè ingredi, quod tandem mordet vt coluber, & sicut regulus, venena diffundit. Et 20 capite eiusdem operis sentit cum Paulo, dicens, Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas. quicunque his delectatur, non erit sapiēs. Decreuerat Salomon à se omnes voluptates abdicare, & à suauissimis vini delicijs suam carnem dimouere, vt daret operam sapiētiæ, quò posset fa-*

Marginalia: Sapien.2. — Hieronym. — Prouerb.30. — 1.Timoh.6. — Matth.19. — Ephes.4. — Lucæ 6. — Prouerb.9. — Ephes.5. — Prouerb.23. — Prouerb.20.

cilius stultitiã hominũ deuitare.sed nec toto suæ vitæ curriculo id potuit consequi, nec perfectè intelligere,quidnam esset homini commodissimum.Deberemus imitari Herculem, qui ab ipsa pueritia,voluptuarias illecebras à se prorsus abdicauit,& animũ virtuti addixit. Magnificaui opera mea.*Suam Ecclesiastes agnoscit culpam,ea in re potissimum,quòd elata superbia &tumido fastu,omnibus præferri voluerit:suas in omni vanitatum genere dilatauit fimbrias.In primis si eius spectemus sapientiã,nulli vnq̃ cessit,nullus eo fuit sapiẽtior,quãdoquidẽ omniũ fertur esse sapientissimus.Si diuitias,largissima opum afflũetia, omnes Hierusalem reges antecelluit,vt ostendit 8 caput 3 Regum.Si palatia,quis magnificẽtiora hoc vno,& excellentiora extruxit?nullus sane,vt 6 & 7 caput 3 Regum indicant.Si hortorum delicias,nullus eo plures deuorauit,nullus eo magis immersus.Omnia,vt perstringam,habuit,quæ in vno rege potentissimo & illustrissimo,expetẽda sunt.reputauit tamen hæc omnia esse plena vanitate, plena sordibus,& spiritu erroris:nec potuit quod in hoc mũdo existimabatur esse bonũ, reperire,eóq; satiari.* AEdificaui mihi domos,& plantaui vineas:feci hortos & pomœria,& conseui ea cuncti generis arboribus. Et extruxi mihi piscinas aquarum,vt irrigarem syluam lignorum germinantium.Possedi seruos & ancillas,multámque familiam habui:armenta quoq; & magnos ouiũ greges,vltra omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem. Coaceruaui mihi argentum & aurum,& substantias regum & prouinciarũ. Feci mihi cantores & cantatrices,& delicias filiorum hominũ: scyphos, & vrceolos in ministerio ad vina fundenda. & supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Hierusalem. Sapientia quoque perseuerauit mecum.& omnia quæ desiderauerunt oculi mei,nõ negaui eis:nec prohibui cor meũ quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaueram.Et hãc ratus sum partẽ meam, si vterer labore meo. Cúmque me cõuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatẽ & afflictionem animi,& nihil permanere sub sole.Transiui ad contẽplandam sapiẽtiã, erroréśq; & stultitiã,Quid est,inquã,homo vt sequi possit regem factorẽ suum? Et vidi quia tãtum præcederet sapientia stultitiã, quantum differt lux à tenebris. *Pulcherrima inductione ostendit Ecclesiastes se magnificasse omnia sua opera. Superbas inquit & augustissimas domos,ac regia palatia magnificaui & extruxi,vites plantaui,elegantissimos confeci hortos,& pomœria, eáque pulcherrimo ordine conseui omni arborum genere & varietate. extruxi & amplissimas aquarum piscinas,quibus syluæ lignorum germinantium irrigantur, quæ non aluntur imbre cælesti,sed quibusdam aquis,quæ in piscinas de riuulis colliguntur.Mercatus sum mihi seruos & ancillas,& multã familiam collegi,&maximos ouium greges, super omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem.Mihi accumulaui insignes auri & argenti thesauros , feci mihi cantores & cantatrices,& delicias filiorum hominum, cyphos,crateres & vrceolos auro & gẽmis distinctos,in ministerio ad vina fundenda,&*

longo excellentiæ interuallo, reges qui ante me imperarunt in Hierusalem, præcellui. Oculos meos rerum pulcherrimarum delicijs paui, nec tamen mihi defuit sapientia, & meæ carni laxaui habenas, vt omni voluptate ac lætitia frueretur. & summum existimaui mihi esse oblectamentum, si suauissimo meorum laborum fructu vescerer. Et cum omnia cœpi contemplari opera, meis manibus, meóque artificio extructa, in quibus plurimum desudaueră, meam luxi vanitatem, meámque manifestissimè agnoui stultitiam, & anxiã animi afflictionẽ, & nihil sub sole perpetuò duraturũ. Deinde huiusmodi delicijs satiatus, dedi operã ad perquirendam sapientiã, errores huius mundi & stultitiã: sed frustra laboraui, meámq; omnẽ perdidi operam. Nam hæc omnia mundanæ voluptatis deliria solus deus perfectissimè nouit. cuius sapientiam nullus vnquam hominũ, quantũuis doctus, attingere potuit, & exactè intelligere. Etenim nostra sapientia multis commixta est erroribus, & fallacissimis opinionibus, quæ tantum distat à sapiẽtia dei, quantum nox à luce, aut tenebræ à lumine. Salomon luteas habuit domos, & terre-
Iob 4. *na habitacula. quæ consumuntur velut à tinea, vt Iob 4 ostenditur. De magnificentia operum Salomonis, lege 9. caput 2 Paralipomenon.* Sapientis oculi in capite eius, & stultus in tenebris ambulat. Et cognoui ego, quia euentus vnus eueniet omnibus eis. *Desiguntur sapientis oculi in cerebro, & perspicacissima mẽtis acrimonia: quibus syncerè Deum contemplatur, & circũspicit quanam solertia rebus humanis præerit, & incompositos corporis affectus temperabit, & moderabitur. Oculi verò stultorum, lippiunt in splendidissimo veritatis lumine: & densissimis inuoluti tenebris & immersi, nihil quod non crassum fuerit, & imperfectum, intueri possunt. Vix vnus reperiri potest, qui non ascribatur stultorum numero, & qui non ambulet in*
Roma.3. *tenebris. Omnes enim declinauerũt, omnes facti sunt inutiles, non est qui faciat bonũ, non est vsque ad vnum. Omnes habent suum in tenebris domicilium. Et quo quisque lympidius putat se veritatem in omnibus disciplinis intueri, eo magis sua hallucinatus opinione, & spiritus præsumptione, caligat in tenebris. Quòd si nostro capiti, scilicet Christo, adhæreremus, in eúmque sublimes nostræ mentis oculos erigeremus, nunquam vana rerum terrenarum cogitatio nos inuaderet, nec improbis sceleratæ vitæ officijs obtenebraremur, nec tenebrarum carceres ingrederemur. Eos puto potissimum ambula-*
1.Ioan.2. *re in tenebris, qui cæca peccati mortalis caligine tenentur. Dicit enim Ioannes, Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ occæcauerũt oculos eius.* Et dixi ego in corde meo, Sicut euentus stulti, ita & mihi eueniet, & vt quid sapiens factus sum ego? & locutus sum in corde meo, quoniã hoc quoque vanitas. *Vereor ne tam miserè aduersa quæq;*
Prouerb.17 *mihi eueniant, atque stulto accidere solent, qui natus est in suam ignominiam. Prouerbiorũ 17. & perniciosissimus vitæ exitus, quæ à me improbè gesta sunt, probet: & gaudia, deliciæ, voluptates, in luctum, tristitiam, & continuum mærorem conuertantur. Quid mihi profuit animum meum humanis discruciasse disciplinis, mentem ethnicorum studijs torsisse? O spes fallaces, & vani labores. me miserum satis agnosco, quòd à puero non abdicauerim voluptatum illectamenta, nec iugi studio, diuinæ adhæserim*

sapientiæ, quæ sola pascit animum, satiat & oblectat. cuius amore & amplexu, Deo coniungimur, diuiníſque ſpiritibus copulamur. Sola eſt diuina ſapientia, quæ nunquam marceſcet, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt eam: Sapientiæ 6. Non enim erit memoria ſapiẽtis, ſimiliter vt ſtulti in perpetuum, & futura tempora, obliuione cuncta pariter operient. Moritur doctus ſimiliter vt indoctus. *Non debet ſapiens tantopere ſuas attollere criſtas, ſuáque ſuperbo faſtu prædicare ſtudia, vt eum imminentis mortis capiat obliuio, ſuíque obliuiſcatur, nec plures quàm ſtultus, ſibi poteſt annos polliceri. Etenim in ſoluẽdo vitæ debito, pares ſunt ſapiens & ſtultus, nec tardius excedit è vita doctus, quàm indoctus. & licet pro ſuis virtutũ monimẽtis, æterna dignus ſit gloria, aliquando tamen futura tempora tumidam eius gloriã extinguent, & obſcurabunt. Quòd autem moriatur doctus ſimiliter vt indoctus, indicat* Eccleſiaſticus, *dicẽs, Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, & ſicut foliũ fructificãs in arbore viridi. Hoc idem teſtatur Eſaias, Omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tanquã flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit. Et hanc recenſet ſententiam beatus Petrus in prima epiſtola canonica. Et in Sapientia dicitur. Quia extinctus cinis, erit corpus noſtrũ, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aer, & tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis. Item Paulus, omniũ mortem indicat, dicens, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Cauſa ſecundaria mortis, eſt à peccato primi parentis contracta. In eodem capite dicit Paulus, in Adam omnes moriuntur. Et ad Romanos, Per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt. Cauſa verò mortis primaria, eſt ab alteratione qualitatum contrariarũ in ipſo homine, quibus continuo humanum corpus iactatur & afficitur.* Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem & afflictionem ſpiritus. *Quia nihil agnoui in ipſo homine, quod nõ ſit multis periculis obnoxium, nec poſſit homo minaciſſima mortis iacula effugere. mundũ quoque vidi multis ſquallere vitijs & infinitis malis oppleri, nihílque ſub ſole conſpexi præter ambitionem, ſuperbiam, elationem, laſciuiam & inſatiabilem hominũ cupiditatem, idcirco me tæduit vitæ meæ, deſideraui hinc demigrare, & diſſolui ab hoc terreno miſeræ vitæ ergaſtulo. Nec abs re dicebat Paulus, hanc deplorando calamitatem. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et alibi, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et hoc ærũnoſum vitæ tædium, Iob exprimit, Tædet animã meam vitæ meæ. Et rurſum, Quare de vulua eduxiſti me? qui vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret. Et alibi, Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictũ eſt, conceptus eſt homo. His finitima ſunt, quæ dicit Hieremias capite 20. Maledicta dies, in qua natus ſum, Dies in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta. Maledictus vir, qui annunciauit patri meo, dicens, Natus eſt tibi puer maſculus: & quaſi gaudio lætificauit eum. Quòd autem vniuerſa in mundo mala ſint, indicat Ioannes, dicẽs, Omne quod eſt in mundo, concupiſcẽtia carnis eſt, & concupiſcẽtia oculorũ, & ſuperbia vitæ.*

Rurſus deteſtatus ſum omnem induſtriã meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſimè laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrũ ſapiens

[Margin: Sapientiæ 6. — Eccleſia. 14. — Eſa. 40. — 1. Petr. 1. — Sapientiæ 2 — 1. Corint. 15. — Roma. 5. — Roma. 7. — Philipp. 1. — Iob 10. — Iob 3. — Hierem. 20. — 1. Ioan. 2.]

an ſtultus futurus ſit:& dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui & ſolicitus fui. Et eſt quicquã tam vanum? Vnde ceſſaui, renuntiauítq; cor meũ vltrà laborare ſub ſole. Nam cum alius laboret in ſapientia & doctrina & ſollicitudine, homini otioſo quæſita dimittit:& hoc quoque vanitas, & magnũ malum. *Suam Eccleſiaſtes deteſtatur induſtriã, deplorat & ingemiſcit ſe fruſtra tot inſumpſiſſe labores, & ſuperuacaneis curis afflixiſſe animum. Conqueritur vehemẽtius, quòd ignoret prorſus, cui tot opes, multis partas laboribus, reliquerit, eúmq; fugit, ſi nam eius filius futurus ſit probus an improbus, ſapiens an ſtultus, & hoc caſſo labore nihil putat eſſe vanius. Etenim quæ longo ſtudio, & graui labore à nobis parta ſunt & ædita, pigris & oſcitãtibus relinquimus. Quid fruſtra tot tantáq; diuulgamus volumina? quæ tametſi iuuent hebetiores, ac ſtupidiores, otiũ tamen plerunque ignauiam & torpedinem generant, minúſque laborant præclara florentiſſimæ iuuentutis ingenia. De filio Salomonis, Roboam ſcilicet, qui à paternis moribus*
3. Regũ 12. *longè degenerauit, fit mentio 3 Regum 12. Ille enim nimia vſus inhumanitate, & immaniſſima crudelitate erga ſuum populum, & conſilio iuuenum deceptus, decem ſui regni partes perdidit. Cum enim populus deprecaretur, ne duriter ſuos tractaret, atque tolleret duriſſimum iugum, quo pater eius filios Iſrael vexauerat: nolens ſenum conſilio obtemperare, diſſuadentium ne ſuis ſeuerè imperaret, imprudentiſſimo iuuenum conſilio acquieuit, qui illi ſuaſerũt, vt hæc diceret filijs Iſrael, Pater meus poſuit ſuper vos iugũ graue, ego verò addam ſuper iugum veſtrũ. Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autẽ cædam vos ſcorpionibus. Et hiſce duriſſimis verbis, vſqueadeo ſui populi animos aduerſus ſe inflammauit, vt cum coactus fuiſſet fugere in Hieruſalem, elegerunt*
Hieronym9 *Hieroboam in regem ſuper omnem Iſrael. Ediſſerens Hieronymus hunc Eccleſiaſtæ locum, de labore & induſtria, dicit Eccleſiaſten verius intellexiſſe hanc ſententiam de labore ſpiritali quàm corporeo. Sic enim ſcribit, Sed mihi altius contemplanti, de labore videtur dicere ſpirituali, quòd diebus ac noctibus vir ſapiens in ſcripturis laboret, & componat libros, vt memoriam ſui poſteris derelinquat, & nihilominus in manus ſtultorum veniant: qui frequenter ſecundum peruerſitatem cordis ſui, ſemina inde hæreſeos capiant, & alienos labores calumnientur. Si enim de corporalibus diuitijs nũc Eccleſiaſtæ ſermo eſt, quid neceſſe fuit de labore & opibus dicere? Et dominabitur in omni labore meo, in quo laboraui, & in quo ſapiens factus ſum ſub ſole. Quæ enim ſapiẽtia eſt, terrenas diuitias cõgregare?* Quid enim proderit homini de vniuerſo labore ſuo, & afflictione ſpiritus, qui ſub ſole cruciatus eſt? Cuncti dies eius, doloribus & ærũnis pleni ſunt, nec per noctẽ mente requieſcit. Et hoc nónne vanitas eſt? Nõne melius eſt comedere & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis? Et hoc de manu dei eſt. Quis ita deuorabit, & delicijs affluet, vt ego? Homini bono in conſpectu ſuo dedit deus ſapientiam, & ſcientiã & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionẽ & curam ſuperfluam, vt addat & cõgreget, & tradat ei qui placuit deo. Sed & hoc vanitas eſt, & caſſa ſolicitudo mentis. *Ab experimento*

rei etiã apertissimo, docet Ecclesiastes hominẽ frustra se nimijs inuoluere curis. Etenim dies hominũ breuissimi, pleni sunt inquietis vigilijs, ærũnis, & doloribus. Plus nobis accidit doloris ꝙ voluptatis. Et hic acutissimus morbus, omnes obsidet & sensim inuadit. Hoc exiguo tẽporis momento oblectaris, mox pristinis laborando furijs, ad primos tuorum dolorum carceres reuerteris. Nec potes quieto somno leuare tædia & decoquere. Semper illius morbi quo corriperis, permolesta tibi obrepit cogitatio. Melius nobis contingeret, si suauissimis cibi potúsq; delicijs, abunde frueremur. Siquidem munus dei est, talem viro iusto dari mentem, vt ea quæ curis vigilijsq; quæsiuit, ipse consumat. Sicut econtrario ira dei est, vt peccator diebus, ac noctibus, opes congreget, & nequaquam eis vtens, his relinquat, qui in conspectu dei iusti sunt. Siue enim comedamus, siue bibamus, dei donum est: & quia dei donũ est, debemus deo acceptum referre. Dicit enim Paulus ad Corinthios, Siue ergo manducatis siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite. Et ad Colossenses, Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi, gratias agentes deo, & patri per ipsum, qui optimis viris impartitur sapientiam, scientiã, & lætitiam, & quæcunq; mentem homi nis illustrare possunt. Sceleratis verò & nocentissimis, infinita tormentorũ genera, continuam afflictionem, & cassam solicitudinem. & hæc suam sentiunt vanitatẽ, & spiritus afflictionẽ. Huic cohæret sentẽtiæ quod dicit Paulus ad Romanos, Reddet vnicuiq; secundum opera eius. Iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriã & honorem, & incorruptionẽ quærunt, vitam æternam: ijs autem qui sunt ex cõtentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Quòd si in animam maliuolam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, & spirituſſanctus disciplinæ effugiet fictum, non absurdè colligemus, in animã prudentem & bonam, introire sapientiam. Et licet Deus det peccatoribus afflictionem & distentionẽ, non tamen causa afflictionis & solicitudinis est in deo, sed in illo qui sponte sua, antè peccauerit. Pulchrè ostendit Christus in euangelio Matthæi, de illo qui talentum suum non auxit, sed defodit in terram, quòd omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et aliubi, Qui habet, dabitur ei & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.

1. Corint. 10. Colloss. 3. Roma. 2. Sapien. 1. Matth. 25. Matth. 13.

ARGVMENTVM TERTII CAPITIS.

Quæ vanitati subdita sunt, tametsi aliquanto temporis interstitio floreant, summóque in precio habeantur, suum tandem habitura finem, deflorescent & omnino emarcescent. Nec vsque adeò nobis arridet fortuna, quin possit aliquando de gradu deijci. Etenim rerum & temporum vicissitudo, nobis apertissimè subindicat, quàm sit vanum & stolidum rebus humanis confidere, in quibus sæuit tyrannis, & despectis virtutum officijs vbique regnant vitia. Attamen inuictissima dei optimi iustitia, quam nemo potest effugere, nephandissima hominum scelera vlciscetur.

CAPVT TERTIVM.

OMnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo. Tempus nascendi, & tempus moriendi. Tempus plantãdi, & tempus euellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, & tempus sanandi. Tempus destruendi, & tempus ædificandi. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi. Tempus spargendi lapides, & tempus colligẽdi. Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, & tempus perdendi. Tempus custodiendi, & tempus abijciendi. Tempus scindendi, & tempus consuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus dilectionis, & tempus odij. Tempus belli, & tempus pacis. Quid habet amplius homo de labore suo? Vidi afflictionem quam dedit deus filijs hominum, vt distendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore suo, & mũdum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est deus ab initio vsque ad finem. Et cognoui, quòd non esset melius, nisi lætari, & facere bene in vita sua. Omnis enim homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum dei est. Didici quòd omnia opera quæ fecit deus, perseuerent in perpetuum. Non possumus eis quicquam addere, nec auferre, quæ fecit deus vt timeatur. Quod factum est, ipsum permanet. Quæ futura sunt, iam fuerũt, & deus instaurat quod abijt. Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ, iniquitatẽ: & dixi in corde meo, Iustum & impium iudicabit dominus, & tempus omni rei tunc erit. Dixi in corde meo de filijs hominum: vt probaret eos deus, & ostenderet similes esse bestijs. Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio. sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius. Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergũt ad vnum locum. De terra facta sunt: & in terram pariter reuertuntur. Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum? & deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, vt post se futura cognoscat?

OMnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo. Tempus nascendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, & tempus sanandi. Tempus destruẽdi, & tempus ædificandi. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi. *Quis tam superbus est, támque elatus, qui conspecto stolidissimi temporis speculo, in quo fastum suæ arrogantiæ breui periturum agnoscit, non moueretur? Quis eò vesaniæ in ambien*

dis & honoribus & magistratibus progreditur, & tam densis tenetur tenebris, ut hæc audiendo, non ingemisceret? Quis tam augusta regiæ maiestatis præcellentia triumphauit unquam, ut diuinam hanc Ecclesiastæ sententiam intelligendo, regium à se non abdicaret honorem, aut saltem despiceret? Plurimum cæcutiunt homines, si cognoscere non possint fluctuantem & periturum humanæ conditionis statum, & omnia in mundo sibi esse contraria, & nihil eorum quæ sunt sub sole, stare perpetuum. Sed admiraberis omnia tempus habere, cum æterna, authore philosopho 4 physicorum, capite 12, quæ à tempore claudi non possunt, non sint in tempore. Sed ne nimis te discruciet hæc quæstio, dicam omnia sub sole suum habere tempus, & ortus & interitus. & quia substantiæ spiritales non sunt sub sole, nec circulo mundi ac cæli continentur, idcirco non subduntur tempori, nec habitura sunt aliquando finẽ. Vnde Ecclesiasticus differens de seculo hominis, dicit, numerum dierum & tempus dedit illi. Et rursum, Numerus dierum hominum, ut multum, centum anni, quasi guttæ aquæ maris deputati sunt, & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui. & Psalmographus reddit rationem nostri temporis breuissimi, dicens, Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni & amplius eorum labor & dolor. Et hæc enarrans Augustinus dicit, Satis in his verbis ostenditur pœnalis esse ista mortalitas. Defecisse dies dicit, siue quòd in eis deficiunt homines amando quæ transeunt: siue quòd ad paucitatem redacti sunt. Quod videtur in consequentibus aperire, cum dicit, Anni nostri sicut aranea &c. Hæc quidem verba videntur exprimere breuitatẽ, miseriámque vitæ huius, quia longæui appellantur hoc tempore, etiam qui septuaginta annos vixerunt, usque ad octoginta autem videntur aliquas vires habere. His vero amplius si vixerint, multiplicatis laboribus & doloribus viuũt. Hæc ille. Sacri patres, beneficio dei multos vixerunt annos. Enos vixit nongentisquinque annis, & Mathusalem nongentis sexagintanouem annis. Sed furijs hominum in libidinem excitatis, abbreuiati sunt dies hominum. Dixítque deus, Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Eruntque dies illius centum viginti annorum. Sed non putes post hanc prænuntiationem homines non excessisse, 120. annos. Nam post diluuium excesserunt 500. Sed ut dicit Augustinus libro 15. de ciuitate Dei capite 24. Intelligendum est deum hoc dixisse cum circa finem quingẽtorum annorum esset Noe, id est, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more suo scriptura quingentos vocat, nomine totius, maximam partem plerunque significans: sexcentesimo quippe anno vitæ Noe, secundo mense factum est diluuium. ac sic centum viginti anni, prædicti sunt futuri vitæ hominum periturorum, quibus transactis diluuio delerentur. Sed ad institutum redeo. Non vulgari inductione hanc vniuersalem assertionem, omnia tempus habent, colligit Ecclesiastes. Tempus quippe est nascendi, & tempus moriendi, quod deo est notissimum. Tempus plantãdi, & euellendi &c. Hebræi omne hoc quod de contrarietate temporum scriptum est, usq; ad illum locum in quo ait, Tempus belli, & tempus pacis, super Israel intelligunt, ut dicit Hieronymus, Tempus fuit generandi & plan-

Aristoteles. Ecclesiast. 7. Ecclesia. 18. Psalm. 89. Augustinus. Gene. 5. Gene. 6. Hieronym⁹

tandi Israel, tempus moriendi & ducendi in captiuitatem. Tempus occidendi eos in Aegypto, & tempus de Aegypto liberandi. Tempus destruendi templi sub Nabuchodonosor, & tempus ædificandi sub Dario. Tempus flendi & plangendi euersionem vrbis, & tempus ridendi atque saltandi sub Zorobabel, Esdra, & Neemia. Tempus dispergendi Israel, & tempus in vnum congregandi. Tempus scindendi Israel, & tempus iterum consuendi. Tempus tacendi prophetas nunc in captiuitate Romana, & tempus loquendi eos tunc, quando etiam in hostili terra, dei consolatione & alloquio non carebant. Tempus dilectionis, qua eos sub patribus ante dilexit, & tempus odij, quando in Christum intulerunt manus. Tempus prælij modo non agentibus eis pœnitentiam, & tempus pacis in futuro, quando intrãte plenitudine gentium omnis Israel saluus erit. Tem-
Deuter.32. pus est occidendi, & sanandi. Deo verè tempus est occidendi & sanandi, qui ait: Ego occidam, & ego viuificabo. Sanat autem deus quos ad pœnitentiam prouocat. Tempus destruendi, & tempus ædificandi. Non possumus ædificare bona, nisi mala destruxeri-
Hierem.1. mus: idcirco sic Hieremiæ verbum à deo datum est, vt ante eradicaret, & suffoderet & perderet, & postea ædificaret atque plantaret. Tempus flendi, & ridendi, Nunc pro-
Matth.5. rũpimus in lachrymas, vt aliquando rideamus & lætemur. Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, licet sit tempus ridendi, & flendi, & nunc homo gaudeat & rideat, modo obseruata temporum & rerum vicissitudine, mœrore suffusus tristetur & ploret, & hoc plerisque contingat, tamen fuerunt aliqui natura aut austera quadam conditione & seueritate irrisibiles, quos Græce agelastos vocamus, quales fuerũt Licinius Crassus, Phocion, Heraclitus, & Philippus Romanorum imperator, quòd ille semel tantum in vita riserit, cũ videret asellum carduos comedẽtem: hi vero riserint nunquam. Tempus plangendi, & tempus saltandi. Corripiuntur qui aliquando non planxerunt,
Lucæ 7. nec post planctum saltarunt. Lamentauimus vobis, vt testatur Euangeliũ, & non planxistis: cantauimus vobis & non saltastis. Plangendum est impræsentiarum, vt postea
2.Regũ 6. saltare possimus, illa saltatione qua saltauit Dauid ante arcam testamenti. Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi. Hoc ad historiam intellige de de-
4.Regũ 18. & 21. structione & ædificatione domorum Salomonis. Alij subruunt & demoliuntur extructa, alij moliuntur & extruunt ædificia, secundum illud horatianum, diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis, æstuat & vitæ discõuenit ordine toto. Manasses filius Ezechiæ ædificauit excelsa, quæ dissipauerat pater eius: statuas erexit Baal, quas contriuerat Ezechias: fecit lucos, quos pater succiderat. Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Erat tempus amplexandi, quando illa vigebat sen-
Gene.1. tentia, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Tempus est ab amplexibus & ge-
1.Corint.7. niali thalamo desistendi, vt vacemus orationi, secundum illud Pauli, Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Et rursum: Qui habent vxores sint tanquam non habentes. Tempus acquirendi, & tempus perdendi. Tempus custodiendi, & tempus proijciendi. Hæ notissima sunt, quæ nobis debent anxiam congerendarum opum curam adimere, quæ facilius perduntur quàm acquirantur. Tempus scindendi, & tempus consuendi. Scissa est synagoga,

vt Euangelia consuerentur. Tempus fuit exterminandi & scindendi sophisticas nugas, vt optimæ philosophorum disciplinæ consuerentur, & pristinam dignitatem recuperarent. Tempus tacendi, & tempus loquendi. *Taceant balbi & infantissimi homines, vt politissimi viri & doctissimi loquantur. suum habuerunt tempus non tam loquendi, quàm loquitandi, cum subticerent bonæ literæ: cum vero & literati, & bonæ literæ suo in ordine loqui debeant, & in publicam omnium lucem venire, obmutescant. Pythagorici totum tacebant quinquennium, vt postea eruditi loquerentur. tacuit Christus in sua pueritia, deinde loquutus est palam in synagogis Iudæorum, vt ad se synceracuangelicæ philosophiæ doctrina, vnumquenque pelliceret.* Tempus dilectionis, & tempus odij. *Hoc tibi constitue tempus amandi teipsum post deum, patrem, matrem, vxorem, liberos & affines, illos odio insectare aut saltem illorum odium qui christianæ religioni, & integritati nostræ fidei aduersantur. Nec pro nomine Christi atrocissimum exhorrescas supplicium & martyrium. Olim in lege Mosaica fuit tempus vlciscendi iniuriam, & odiendi inimicum: nunc vero in lege Euangelica (qua nihil est mitius & suauius) tempus est tolerandi iniuriam, & diligendi inimicũ, vt nos docet Christus, Matth. 5.* Tempus belli, & tempus pacis. *Quandiu in hoc corpusculo peregrinamur, tandiu sæuissimo bellorum tumultu infestamur. Nescio quæ nam vesania corripit homines, vt magis ament bellum, quàm pacem: nec tamen sine maxima pauperum iactura & summo detrimento. Cum autem hinc demigrauerimus, si modo probe vixerimus, pace fruemur. Lex tempus habuit belli, Euangelium vero post Christi passionem, tempus pacis. dixit enim Christus suis Apostolis, Pax vobis, iterũ pax vobis. Ioannis 20.* Quid habet amplius homo de suo labore? Vidi afflictionẽ quam deus dedit filijs hominum vt distendantur in ea. *In vanum desudat qui nullam vnquam sui laboris requiem & oblectationem inuenit. plerunque homo seminat, nec tamen metit, vbi seminauit. Alius metit quod non seminauit, & quid hac cassa afflictione vanius? Prudenter dictum est à Christo: Nolite esse soliciti in crastinum, crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi, sufficit diei malicia sua.* Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est deus ab initio vsque ad finem. *Mire cohæret huic sententiæ quod in sapientia scriptum est, difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ in cælis sunt autem, quis inuestigabit? sensum autem tuum quis sciuit, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis? Nonnulli percontantur anxiè sublimia dei mysteria, & curiosissimè arcana rerum diuinarũ sacramenta peruestigãt, nec suam arduis sacrarum literarum studijs mentem satiare possunt, donec intelligant abunde quod indefesso labore conquisierunt. Sed quo magis suis argutijs, suisque disputatiunculis conantur intelligere imperscrutabilia dei opera, diuinumque artificium: eo minus consequuntur, & in profundiores errorum tenebras decidunt, ac in maiorem dilabuntur ignorantiam. Nullum suis scrupis, & contentionibus imponunt finem. rixantur egregiè, nec sine Stentorea voce, ac clamosissima vociferatione, sacra, fronte perfricta attingunt, sa-*

Matth. 5.

Ioan. 20.

Matth. 6.

Sapientiæ 9.

cra, balbutientissima lingua violant, & fœdè conspurcant. Diuina quoque oracula, liuido terunt ore, & quo magis argutando progrediuntur: eo tardius minúsque ad veritatis cognitionem perueniunt. de quibus promptè loquitur Paulus, Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi & non secundū Christū. Et rursum, si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secūdum pietatem est doctrinæ, superbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, cōtentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. Item, Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Insuper dicit Paulus, Stultas quæstiones & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles & vanæ. Quærunt aliquando, quidnam Deus faciebat antequam crearet mundum. nec tamen vt doctiores euadant, sed mera, aut ambitionis, aut iactantiæ vanitas eos occæcat: quibus tamen respondet Augustinus libro primo retractationum capite 3. Deus antequam mundum constitueret, ratiocinabatur quomodo mundum constitueret. Tametsi de sublimi rerum diuinarum philosophia disserere, & agitare difficultates, optimum sit, & potissimum ex sacris studijs excutiendo veritatem, nimis tamen de illis, hominum rationibus & inuentis argutari, est vanum. Et planè delirat, totóque aberrat cælo, qui huiusmodi conflictationibus arbitratur se exactissimā diuini artificij: & sacrarum literarum cognitionem assequuturū. Rectè dicebat Paulus ad Roma. 11. O altitudo diuitiarū, sapientiæ & scientiæ dei. & Esaias etiam docet 40. capite, hominem nunquam exactè & perfectè excellentissimū dei artificiū intellexisse, Quis inquit, mēsus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pōdere montes, & colles in statera? Quis adiuuit spiritum domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Dicit & Ecclesiasticus capite primo, Arenam maris & pluuiæ guttas, & dies seculi, quis dinumerauit? Altitudinem cæli & latitudinem terræ, & profundū abyssi, quis dimensus est? Sapientiam dei præcedentem omnia quis inuestigauit? Omissis verborum pugnis tuto credamus Deum creasse omnia propter bonum finem, nihilq́ ab eo conditum esse quod non sit bonum. vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. idcirco delirant plurimum Manichei, arbitrantes Deum cōdidisse naturam boni & mali. Et cognoui quod non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua. Omnis enim homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum dei est. *Si parum commodi & fructus reportemus ex assiduo & ardentissimo nostrorum laborum æstu, nostráque congerendarum opum solicitudo rodat viscera: melius sane esset honesta voluptate & ciborum delicijs nostram transigere vitam, quàm aut extenuari laboribus, aut immori studijs, & hisce fruēdo bonis, agnoscemus (nisi detestanda ingratitudinis nota inuramur) dei beneficentiam, qui nos docuit præstare pauperibus pietatis officia, quæ à Christo Matth. 25. commendantur, Venite benedicti patris mei &c. & hoc est quod dicit Ecclesiastes, commendans plurimum opera bona cum*

Marginalia: Colloss. 2. — 1. Timoth. 6 — 2. Timoth. 2 — Tit. 3. — Augustinus. — Roma. 11. — Esa. 40. — Ecclesiast. 1. — Gene. 1. — Matth. 25.

dicit, Et *facere bene in vita sua, nec obscurum est ex hoc loco colligere, solam fidem non perducere hominem ad regnũ dei.* Didici ꝙ omnia opera quæ fecit deus perseuerent in perpetuum. Non possumus eis quicquam addere, nec auferre quæ fecit deus, vt timeatur. Quod factum est, ipsum permanet. Quæ futura sunt, iam fuerunt, & deus instaurat quod abijt. *Si omnia tempus habeãt, & suis spatijs transeant vniuersa sub sole: quonam igitur pacto omnia opera quæ fecit deus perseuerant in perpetuum? Nisi velis tueri, quod dixit Ecclesiastes primo capite, Nihil esse nouum sub sole, nec quisquam dicere potest, hoc recens est. nam in præteritis seculis præcessit.* Et *secundũ diuinam præscientiam, qua futura omnia iam facta sunt, perseuerant in perpetuum. Si philosophari liceret Aristotelicè, dicerem cuncta secũdum species perpetuo duratura, hoc enim prætendere videtur Ecclesiastes, dicens, Quod factum est, permanet, quæ futura sunt, iam fuerunt, & deus instaurat quod abijt. Sol quippe fuit antequam essemus, & postquam mortui fuerimus, oriturus est. Terra singulis annis arescit, itémque virescit in germine suo. Mare fluit, & recedit vt refluat. Animalia moriuntur, & renascuntur iterum eiusdem generis. Homines morte finiuntur & alij pro eis oriuntur.* Et *ideo deus optimus & maximus, per succedentia tempora, omnia restaurat quæ fuerunt.* Et *hac pulcherrima inductione ratiocinatur ad hũc locum Albinus, theologus profecto doctissimus, Aut dic cũ Lyrano, opera dei permanere secũdum partes mundi præcipuas, cælũ scilicet & elemẽta, quæ secundũ se tota sunt incorruptibilia.* Et *vsq; adeò perfecta sunt dei opera, & affabre perpolita, vt nihil illis possimus nostra industria, nostróq; artificio addere, nihílq; subtrahere. nec sanctissimis eius præceptis & literis quicꝙ addendum est, nisi quod illis fuerit consentaneũ, & quod inscios & hebetiores iuuare possit. Deuteronomij enim 4 dicitur, Non addetis ad verbũ quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et *nobis præcipit sui timorem, ne prolabendo in vitia in tenebras exteriores protrudamur. Audi quid dictum est in lege: Dominũ deum tuũ timebis, & illi soli seruies: Deuter. 6. & 10. Initiũ etiã sapientiæ timor domini: Ecclesiast. 1. cap. Sed dicet aliquis, si teneamur diligere deum toto corde, tota mente, & tota anima, quonam pacto præcipitur nobis timor dei, qui charitati videtur aduersari? Nam 4. cap. 1. epistolæ Ioannis dicitur, timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Dico timorem filialem, castum, & vere Christianum, quo timemus offendere deum, quia bonus est, etiam si nulla nobis immineret damnationis pœna, non aduersari charitati nec imminuere: licet forsitan timor seruilis & mundanus nonnihil addat pœnæ, & aliquid à charitate auferat.* Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem, & dixi in corde meo: iustum & impium iudicabit dominus, & tempus omnis rei tunc erit. *Inuebitur in corruptissimos iudices, qui occæcati muneribus, sacra legum instituta violant: aut fauore, amicorum partes tutantur, absque vlla plerunque æquitatis scintilla. pauperum causam etiam iustissimam contemnunt, nec cuipiam non oblatis donarijs suam præstant operam: aliquando tamen pro sua impietate & iniustitia luent pœnas, & atrocissimum patientur tormentum.* Et *quid sibi velit illa Pauli sententia agnoscent, om-*

Albinus.
Lyranus.
Deuter. 4.
Deu. 6. & 10
Ecclesiast. 1.
1. Ioan. 4.

2.Corinth.5 *nes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi,vt referat vnusquisq; propria*
Deuter.16. *corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Prudenter Mosi præceperat dominus, vt constitueret iudices & magistros in omnibus portis: vt iudicarent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinarent, nec acciperent personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Iuste, quod iustum est persequeris vt viuas, & possideas terram quam dominus deus tuus dederit tibi. Si cupias sciscitari, cur regnent impietatis & iniustitiæ vitia, forsitan tibi responderet Esaias,*
Esaiæ 56. *Quia omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsq; ad nouissimū. Nos tamen dominus Deus per Esaiam monet, vt sectemur iustitiam,*
Esaiæ 58. *dicens, Et anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria domini colliget te. sed alibi con*
Esaiæ 59. *queritur quòd nullus inuocet iustitiam, neq; est qui iudicet verè, sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates. Cum tamen occurrerit horrēdum dei iudicium, iudicabit deus iustum & iniustum: hunc plectendo, quem ad tenebras exteriores deijciet, illi verò æternam exhibendo mercedem. Verum dicet aliquis, quonam pacto Deus iudicabit impium*
Ioan.5. *& iustum, cum Deus pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt honorificent filium, sicut honorificāt patrem? Intellige velim vnum & idem esse iudicium*
Theophylactus. *patris & filij. Nec filium iudicare, nisi iudicet pater. Sed authore Theophylacto pater dedit omne iudicium filio, quia eum genuit iudicantem, sicut dedit filio vitam: id est, genuit viuentē. Quia enim pater author est filij & principium, quicquid habet filius, habet à patre naturaliter, cui est æqualis. Etiam illud dictum putes, vt Iudæi crederēt Christum esse filium dei, & patri æqualem, ac eidem tantum deferrent honoris, quantum & patri.* Dixi in corde meo de filijs hominum vt probaret eos deus, & ostenderet similes esse bestijs. Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusq; conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumēto amplius. Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum, de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur. Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum? *Hæc alta & sublimis Ecclesiastæ philosophia, plurimum videtur humanam conditionem imminuere. Viden miser & superbe cui te confert? Tuam vitam bulla fragiliorem iumentis, & quibuslibet bestijs comparare non veretur, ne intumescas insolenter, neve elatis arrogantiæ cristis erigaris: velis, nolis, similis factus es stupidis beluis. Et quemadmodum moriuntur animalia rationis expertia & intereunt: ita interit homo, & perit. Nec magis potest sibi polliceri crastinum, quàm brutum. Sed quid hac imbecillitate dici potest vanius aut excogitari? Huic cohærere videntur sententiæ, quæ dicit Dauid de homine, suis immerso vicijs, qui viuam dei imaginem fœdando beluinam a-*
Psalm.38. *git vitam, Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Nec te amplius torqueat illa admiratio, nullam esse inter iustum & iniustum distantiam, pariter inter doctum & indoctum, quātum ad repentinum vitæ interitum, cum inter pecudes & homines secundū corporis qualitatem,*

& vilitatem nihil differre videatur, vt dicit Hieronymus, *& sit eadem nascendi conditio, sors vna moriendi, nec minus afficitur homo, & vincitur contrarijs elemētorum qualitatibus, quàm belua. Nec tamen ex eo, quod dicit* Ecclesiastes, *vnum esse hominis & iumētorum interitum, & æquam vtriusque conditionem, debemus arbitrari animam hominis perire cum corpore, & vnum esse bestijs & hominibus præparatum locum: nec* Ecclesiasten *expendere omnimodam interitus hominis & iumēti similitudinem: sed hac in re consideranda est proportio & similitudo. Quemadmodum moriuntur iumenta, ita moriuntur & homines: dissident tamen. nam anima bruti perit cum corpore, & moritur siue extinguitur: non tamen anima hominis, quæ est immortalis. dicit* Lyranus *hunc difficilem scrupum excutiendo,* Ecclesiasten *nunc agere personam eorum qui negabant animam hominis esse immortalem, & deridebant eos qui dicebant spiritus esse, angelos, & resurrectionem, quales erant* Sadducæi. *Nam* Lucas *in actis Apostolorum de illis sic scribit,* Sadducæi *dicunt non esse resurrectionem mortuorum, neque angelum, neque spiritum. quos confutauit* Christus, *cū enim illius doctrinam calumniantes sciscitarentur de vxore septem fratrum, cuius esset in resurrectione, de septem fratribus vxor: ipsis respondit, Erratis nescientes scripturas, neque virtutem dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed sunt sicut angeli dei de cælo. Ex verbis* Christi *facile possumus eruere, animam hominis esse immortalem. Nec tibi persuadeas,* Salomonem *putasse animam hominis esse mortalem. nam in 12 capite huiusce operis, dicit hominem iturum in domum æternitatis suæ, & spiritum redire ad deum qui dedit illum. & cum dicit omnia spirare similiter, vnúmque esse spiritum omnibus, intellige hanc sententiam propter vilitatem hominum, quia antequam* Christus *atras inferni tenebras discuteret, & ianuam paradisi aperiret, æqualis penè erat spiritus hominis, & iumenti vilitas. Et licet aliud videretur dissolui, aliud reseruari: tamen non multum intererat, perire cum corpore, vel inferni tenebris detineri. Nec addubito quin adhuc conueniant homo & iumentum, in hoc scilicet, quòd reuertentur in puluerem & in terram, à qua suum vas fictile sumpserunt. Scriptum est in* Genesi, *de puluere humano, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Et aliubi dicit* Ecclesiastes, *& reuertatur puluis in terram suam vnde erat. Quòd si dixeris spiritum filiorum* Adam *ascendere ad cælos, & æternis frui delicijs: spiritum verò iumenti descendere deorsum, & idcirco non vnum & eundem esse spiritum hominis & iumenti. Sed quo, inquit, certo authore istud cognouimus? quis tibi prædixit antequam* Christus *nasceretur? Quis potest ex se nosse an verum sit, an falsum quod speratur? Et hæc* Ecclesiastes *vult nobis significare, ante aduentum* Christi, *omnia ad inferos pariter duci. Vnde &* Iacob *ad inferos descensurum se dicit. Nam in* Genesi *scriptū est de* Iacob, *qui putabat* Ioseph *deuoratum esse à fera pessima, conspecta eius veste intincta sanguine hædi occisi, Descendam ad filium meū, lugens in infernū. Et* Iob *pios & impios queritur in inferno retentari. In profundissimū, inquit, infernum, descendent omnia mea. Et euangelium testatur* Chaos *esse magnum interpositum apud inferos, &* Abraham *cum* Lazaro, *& diuitem in supplicijs degere. Si de-*

Hieronym. — Lyranus. — Act. 23. — Matth. 22. — Ecclesia. 12. — Gene. 3. — Ecclesiast. 12 — Gene. 37. — Iob 17.

ſideres amplecti ſenſum ſpiritalem, intellige ſpiritum hominum optimis educatũ moribus, & Chriſto, fidei gratia adhærentem, ad cæleſtem beatitudinẽ migraturũ: iumentum vero, id eſt peccatorẽ, grauiſſima peccatorum ſarcina oneratum, ad inferos lapſurum niſi reſipiſcat, ſi tamẽ reſipuerit, beatorum cõmercio adſcribetur. Vnde in Pſalmis

Pſalm.35. *dicitur, Homines & iumenta ſaluos faciet dominus. Et in euangelio, Meretrices & pu-*

Matth.21. *blicani vos præcedent in regno dei. Si enim diuerſa temporũ intercapedine, ſtudioſiſſimus ſanctitatis & Euangelicæ vitæ, ſuperbiat, & à virtute ad vitiũ decidat, ad inferos vſq; præcipitium faciet. Plerunq; euenit vt Idiotæ, ruſtici & ſimplices coronentur martyrio, ac paradiſi fiant coloni, Stulti, vt fertur, & idiotæ rapiunt cælos, docti ad ima demerguntur.* Et deprehendi nihil eſſe melius, quàm lætari hominem in opere ſuo, & hanc eſſe partem illius. Quis enim eum adducet vt poſt ſe futura cognoſcat? *Opus proprium, & quod expetere debemus in hac vita, eſt erga pauperes beneficentia. nihil enim magis hominem oblectat, quàm honeſtiſſima erga famelicos liberalitas. Chriſtus enim præclara pietatis officia ſummopere cõmendauit. Hac virtute nobis comparamus æternas opes, & cæleſtem æternæ vitæ portionem, quam neque fures neq; tyrãni poſſunt auferre. Nec poſſumus ab hoc terreno carcere ſoluti, ſcire ſi nam noſtri hæredes futuri ſint ſapientes an ſtulti, an digni vel indigni noſtris opibus. Idcirco ne tantopere nos torqueat & diuexet anxia noſtrorum laborum ſolicitudo: fruamur, dum præſentem hanc agimus vitam, opibus & bonis, noſtra*

Auguſtinus. *induſtria conquiſitis. Auguſtinus libro vno de cura gerenda pro mortuis capite 13. 14. & 15. dicit animas mortuorum neſcire res viuentium, licet poſſint diſcere ab his qui hinc commigrant, aut ab angelis qui rebus humanis & his quæ in hoc mundo aguntur*

Eſaiæ 63. *præſto ſunt, & ſuam probat ex Eſaia ſentẽtiam: Tu es enim pater noſter, & Abraham nos neſciuit, & Iſrael nos nõ cognouit. Et hæc Eccleſiaſtæ cohærẽt, dicenti, Quis enim eum adducet, vt poſt ſe futura cognoſcat?*

ARGVMENTVM QVARTI CAPITIS.

Expertus eſt Eccleſiaſtes nouum vanitatis portentũ, & inauditã hominum flagitia. conſpexit hominum fraudes, calumnias, impoſturas, & duriſſimam pauperũ oppreſſionem, quibus nullus opem præſtitit. Feliciorem putat mortuum viuente, & omnium feliciſſimũ qui nondum mundi naufragia ingreſſus eſt, & vſque adeò cæcutiunt homines, vt proſperis aliorum fortunis ſubinuideãt. tenuem vitæ alimoniã, cunctis opibus præferendam eſſe exiſtimat. nobis quoque conſulit, vt honeſta ſapientiæ & obedientiæ ſtudia amplexemur.

CAPVT QVARTVM.

VErti me ad alia, & vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur, & lachrymas innocẽtium, & neminem conſolatorem, nec poſſe reſiſtere eorum violentię cunctorum auxilio deſtitutos. Et laudaui magis mortuos, q̃ viuẽtes: & feliciorem vtroque iudicaui qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt. Rurſum contempla-

tus sum omnes labores hominum,& industrias animaduerti patere inuidiæ proximi.& in hoc ergo vanitas,& cura superflua est.Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas,dicens,Melior est pugillus cum requie,quàm plena vtraq; manus cum labore,& afflictione animi.Considerans reperi & aliam vanitatẽ sub sole.vnus est,& secundum non habet,non filium,non fratrem,& tamen laborare non cessat,nec satiantur oculi eius diuitijs: nec recogitat,dicens,Cui laboro,& fraudo animam meam bonis? & in hoc quoque vanitas est,& afflictio pessima.Melius est ergo duos esse simul,quàm vnum.habent enim emolumentum societatis suæ.si vnus ceciderit,ab altero fulcietur.Væ soli,quia cum ceciderit, non habet subleuantẽ se.Et si dormierint duo, fouebuntur mutuo.vnus quomodo calefiet? Et si quispiam præualuerit cõtra vnum,duo resistent ei.Funiculus triplex difficile rumpitur.Melior est puer pauper & sapiẽs, rege sene & stulto,qui nescit præuidere in posterum.Quòd & de carcere,catenisque interdum quis egrediatur ad regnum:& alius natus in regno inopia consumatur. Vidi cunctos viuentes qui ambulant sub sole cum adolescente secundo,qui cõsurget pro eo.Infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum,& qui postea futuri sunt,non lætabũtur in eo.sed & hoc vanitas & afflictio spiritus. Custodi pedem tuum ingrediens domum dei, & appropinqua vt audias. multo enim melior est obedientia,quàm stultorum victimæ,qui nesciunt quid faciũt mali.

VErti me ad alia, & vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium,& neminẽ cõsolatorem, nec posse resistere eorũ violentiæ cunctorũ auxilio destitutos. *Nouam humanæ vesaniæ stultitiã & vanitatẽ agnouit Ecclesiastes.At vbi expertus est multis annis,vafras hominum calumnias,imposturas & infinita penè nocendi genera,nõ potuit non detestari fucatam hominum felicitatem.Sed non solum hæc tempora suos habent calũniatores,sed & præterita.Quis alienæ inuidus gloriæ,æquo feret animo alterius gloriã,quem putat aut sibi allaturum plurimum detrimenti,aut eius gratiam depressurum? Qui aulicam agit vitam,sibi simili inuidet plerunque, & quò magis illum existimat sibi præferri,& maiori in precio haberi, eò magis succenset, furit & destomachatur.Age de literis,vis aperte loquar,regnant in omni studiorum genere, capitales iniuriæ,cõtentiones,& calumniæ.Barbarus politi viri & emunctæ naris studia,in calumnias torquet,nec existimat latinum interpretem sibi posse coferri,nõ dicam conferri,sed ne primoribus labris sacrarum literarum cibum degustasse,minúsque doctum haberi,si hebraicam linguam aut græcam,aut verius perfectissimã illarum linguarum cognitionẽ sit assequutus,tamen clauus clauo retruditur,nec carere potest calumnijs,qui præclara optimorum interpretum monimenta liuidis calumniatorum linguis exponit. Si tamen aliquando calumniatores resipiscerent,haud dubiè illorũ innocentia agnoscetur,qui non mediocre aliquãdo damnũ sunt perpessi,& doloribus aliquando succede-*

ret voluptas, & nullus esset qui pauperũ lachrymas non extingueret. Decet potissimum regem, vt prætendit Ecclesiastes, *inopiæ indigentium succurrere, & si quã perpessi sunt iacturam etiam grauissimã, subleuare.* Exulcerata pauperum *viscera, clamant vindictam, plorant & ingemiscunt, nec ad quempiam tutissimum habent confugiũ, nisi ad*
Hierem. 20. *deum, qui illorum animas liberabit de manu malorum,* Hieremie 20. *Sentient aliquan-*
Psalm. 71. *do calumniatores flagellum domini. Vnde in* Psalmis *dicitur,* Iudicabit *pauperes popu-*
Hierem. 2. *li, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Et apud Hieremiã re
Hierem. 3. *quirit dominus sanguinem innocentum,* Inuentus *est, inquit, sanguis animarum paupe-*
Hierem. 5. *rum & innocentum. item, vox in vijs audita est, ploratus & vlulatus filiorum* Israel, *quoniã iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt domini dei sui. & alibi,* Inuẽti *sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas, ad capiendos viros: sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo.* Et laudaui magis mortuos quàm viuentes, & feliciorem vtroq; iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt. *Quia mundus omnibus abundat vitijs & innocentes ab impijs & sceleratissimis opprimuntur, nec quisquã est qui optimis viris subsidiũ præstet, longè feliciores existimat mortuos, quàm viuentes: & eum vtroque feliciorem putat, qui nunquam horrenda hominum flagitia nouit, nec expertus est, & qui etiam nondum natus est.* Mortui *idcirco sunt viuentibus feliciores, au-*
Hieronym. *thore* Hieronymo, *quia mundi naufragia euaserunt, viuẽtes verò adhuc patiũtur mala. Quòd si melius sit mori quàm viuere, eò quòd morte effugiũtur calamitates, in vita vero retinentur, quid igitur tantopere reformidamus mortem & metuimus? metuãt illi, qui turpiter vixerunt, quos inferorum dij cruciandos præuident & expectant. qui verò bene beatéque vixerunt, acerrimas mortis cõminationes contemnant & eludant,*
Cicero. *tametsi natura mortem timeat. Quòd si timeretur mors, vt dicit* Cicero, *libro primo* Tusculanarum *quæstionum, non cum* Latinis *decertans pater* Decius, *cum* Hetruscis *filius, etiam cum* Pyrrho *nepos, se hostium telis obiecissent. non vno bello pro patria cadẽtes* Scipiones Hispania *vidisset,* Paulum & Geminiũ Cannæ, Venusia Marcellum, Latini Albinum, Lucani Gracchum. *Et pulcherrimis virorum clarissimorum exemplis suadet, mortem non esse malum. Cum* Theramenes, *inquit, coniectus in carcerẽ triginta iussu tyrannorum venenum, vt sitiens ebibisset, reliquum sic è poculo eiecit, vt id resonaret. quo sonitu reddito arridens, propino, inquit, hoc pulchro* Critiæ, *qui in eum fuerat teterrimus.* Græci *enim in conuiuijs solent nominare cui poculũ tradituri sunt.* Lusit *vir egregius extremo spiritu, cum iam præcordijs conceptam mortem contineret, veréq; ei qui venenum præbuerat, mortẽ est eam auguratus, quæ breui consecuta est. Quis hanc animi maximi æquitatẽ in ipsa morte laudaret, si mortẽ malum iudicaret?* Vadit *in eundem carcerem, atq; in eundem paucis post annis scyphum,* Socrates *eodem scelere iudicum, quo tyrãnorum* Theramenes. *Quæ est igitur eius oratio qua facit eũ* Plato *vsum apud iudices iam morte mulctatũ?* Magna *me, inquit, spes tenet iudices, bene mihi euenire quòd mittar ad mortem.* Necesse *est enim sit alterum de duobus, vt aut sensus omnino mors omnes auferat, aut in alium quẽdam locum ex his locis mor-*

te migretur. Quamobrem siue sensus extinguitur, mórsq; ei somno similis est, qui nonnunquam etiam sine visis somniorum placatissimam quietẽ affert, Dij boni quid lucri est emori? aut q̃ multi dies reperiri possint, qui tali nocti anteponãtur? Cui similis futura est perpetuitas omnis consequẽtis temporis, quis me beatior? Sin vera sunt quæ dicuntur, migrationẽ esse mortẽ in eas oras, quas qui è vita excesserint, incolunt, id multo iam beatius est, te cum ab ijs qui se iudicum numero haberi volunt, euaseris ad eos venire, qui verè iudices appellentur, Minoem, Rhadamanthũ, Aeacum, Triptolemum, conuenirẽq; eos qui iustè cum fide vixerint. Hæc peregrinatio mediocris nobis videri potest, vt verò colloqui cũ Orpheo, Musæo, Homero, Hesiodo liceat, quãti tandem æstimatis? Equidẽ sæpe mori, si fieri posset, vellẽ, vt ea quæ dico, mihi liceret inuenire. Quãta autem delectatione afficerer, cum Palamedẽ, cum Aiacem, cum alios iudicio iniquorum circũuentos conuenire tentarem: etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, & Vlyssis, Sisyphiq; prudentiã. Nec ob eam rem, cum hæc exquirerẽ, sicut hic faciebam, capite damnarer. Ne vos quidem iudices ij, qui me absoluistis, mortẽ timueritis. Nec enim vnquam bono quicquam mali euenire potest, nec viuo, nec mortuo: nec vnquam eius res à dijs immortalibus negligẽtur, nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec verò ijs à quibus accusatus sum, aut à quibus condemnatus, habeo quod succenseã, nisi quòd mihi nocere se crediderunt. Et hoc quidem hoc modo. nihil autem melius æstimo. Sed tempus est, inquit, iam hinc abire me vt moriar, vos vt vitam agatis. Vtrum autẽ sit melius, Dij immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminẽ. Næ ego haud paulo hunc animum malim, quàm eorũ omnium fortunas, qui de hoc iudicauere. Et si quidem præter deos, negat scire quenquã, id scit ipse vtrum melius sit. Nam dixit ante: sed suũ illud, nihil vt affirmet, tenet ad extremũ. Nos autẽ teneamus, vt nihil censeamus esse malum, quod sit à natura datũ omnibus. Intelligamúsq; si mors malũ sit, esse sempiternũ malum. Nam vitæ miseræ mors finis esse videtur, mors si est misera, finis esse nullus potest. Sed quid ego Socratẽ aut Theramenem præstãtis viros virtutis & sapientiæ gloria cõmemoro? cum Lacedæmonius quidam, cuius ne nomen quidẽ proditum est, mortẽ tantopere cõtempserit, vt cum adduceretur damnatus ab Ephoris, & esset vultu hilari atque læto, dixissétque ei quidam inimicus, contẽnísne leges Lycurgi? respondérit, Ego verò illi maximã gratiam habeo, qui me ea pœna mulctauerit, quã sine mutuatione, & sine versura possem dissoluere. O virum Sparta dignum, vt mihi quidem, qui tam magno fuerit animo, innocens damnatus esse videatur. Tales innumerabiles nostra ciuitas tulit. Sed quid duces & principes nominem, cum legiones scribat Cato sæpe alacres in eum locum profectas, vnde redituras se non arbitrarentur. Pari animo Lacedæmonij in Thermopylis occiderunt. in quo Simonides, Dic hospes Spartæ nos te hic vidisse iacentes, dum sanctis patriæ legibus obsequimur. Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti Lacedæmonij, hodie apud inferos fortasse cœnabimus. Fuit hæc gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant. E quibus vnus cum Perses hostis in colloquio dixisset glorians, solem præ iaculorũ multitudine & sagittarũ non videbitis, In vmbra igitur, inquit, pugnabimus. Viros commemoro: Qualis tandem Lacæna, quæ

cum filium in prælium misisset, & interfectum audisset. Idcirco, inquit, genueram, vt esset qui pro patria, morte non dubitaret occumbere. Estote fortes & duri Spartiatæ, magnam habet vim, reipublicæ disciplina. Hæc ille. Et libro 2. earundem quæstionum dicit contemptionem mortis, non minimum valere ad animum metu liberandum. Nam qui id quod vitari non potest, metuit, is viuere animo quieto nullo modo potest. Sed qui non modo quia necesse est mori, verumetiam quia nihil habet mors quod sit horrendũ, mortem non timet, magnum is sibi præsidium ad beatam vitam comparat. Hæc ethnici hominis, doctissimi tamen & eloquẽtissimi studia, Ecclesiastæ consentanea sunt, quibus ostendit mortuos viuentibus feliciores esse. Qui tamen nondum natus est, vtroque felicior est, non quòd sit, antequam nascatur, sed quòd melius est omnino non esse, nec sensum habere substantiæ, quàm infeliciter vel esse, vel viuere. Quomodo de Iu-
Matth. 26. *da dominus loquitur, futura eius tormẽta significãs, Melius erat si homo ille natus non*
Iob 3. *fuisset. Et Iob maledixit diei suo, & dixit, Pereat dies in qua natus sum: & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. & rursum, Quare non in vulua mortuus sum? Quare*
Hierem. 20. *egressus ex vtero non statim perij? Et dicit similia Hieremias, Maledicta dies in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus qui annun tiauit patri meo, dicens, natus est tibi puer masculus. Existimo quòd melius est secundum quid non esse: & cõsiderando miseriã culpæ, quàm viuere in perpetuis tormẽtis,*
Augustinus. Dionysius *& infeliciter esse, licet melius sit simpliciter, ex sententia Augustini & Dionysij, vt alıubi ostendemus, esse, quàm non esse. Etenim non esse, nõ est proprie eligibile.* Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi. Et in hoc ergo vanitas & cura superflua est. *Voluit Ecclesiastes frequenter experiri labores hominũ & industriam, & cui nam foret vsui assiduus honoris assequendi conatus, & quidnam conferret homini, suas ingenij vires in euoluendis bonarum literarum studijs, torsisse, quid deniq; nobis adferret cõmodi, summos ambisse magistratus, & regia obtinuisse officia. Verum satiata mente, cõspexit omnimodam hominis operam, & solertiã patere inuidiæ, nec proximũ de prosperitate nostra gestire, sed tristari, & aliena felicitate torqueri. Recte dicebat Cicero virtutis comitem esse inuidiam. Hæc autem suum habent in vanitatis officina locum.*

Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens, Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi. *Tametsi non sit honestum, suam pigro ocio & ignauia transigere vitam, melius tamen esset à labore feriari, & quietã prorsus agere vitam, quàm indefesso studio, aut sibi congerere opes, aut cassa solicitudine summos sitire honores. Nec me latet quin peccet, qui vmbratilem vitã eligit, minus tamen deum offendit, quàm auarus.*
Prouerb. 6. *Insectatur Salomon oscitanter viuentes, Vade, inquit, ad formicam ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Vsquequo*
Prouerb. 24 *piger dormies? Quando consurges de somno tuo? Et aliubi, Parũ inquam dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conferes, vt quiescas, & veniet tibi quasi cursor,*

aegestas tua, & mendicitas quasi vir armatus. Plurimũ nos oblectat tenuis cum quiete cibus, & magis frugali mensa oblectantur musarum cultores, quàm aepularum luxu, & lautissimis ciborum delicijs. Nec huic dissimile est sententiae, quod in Prouerbijs dicit Salomon, Melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate. Et capite decimoseptimo, Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Dauid quoque dicit, Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Considerans reperi & aliam vanitatem sub sole, Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat, dicens, Cui laboro, & fraudo animam meã bonis? in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima. *Anxiae hominum curae, & ardentissimi labores nonnihil habent interdum rationis, & plerunque promerentur excusationem, quòd scilicet alenda sit familia, vxor, liberi, extruenda pro amicis aedificia, parandae sunt vestes, nec praetermittendum est senectutis viaticum. Ille tamen culpandus est, qui externis bonis abundans, nunquam satiatur, nec habet vxorem, nec liberos, nec haeredem, nec amicos, quibus ingentem diuitiarum cumulum relinquere possit. Miserè proculdubio torquetur, qui sacra fame sitiendo aurum & argentum, suis opibus frui non potest, conturbatur frustra terrenis incubando fortunis, thesaurizat in vanum. Nam nescius est cui congregat. Plutoni sua insane offert sacrificia: nec potes tibi praetexere excusationem, quòd ad tua munera deus respiciat. Dicit enim Ecclesiasticus, Ne dicas, in multitudine munerum meorũ respiciet deus, & offerente me deo altissimo munera mea suscipiet. Et alibi dicit de his qui suis opibus aeterna vita priuantur, Multos enim perdidit aurum & argentum, & vsque ad cor regum extendit & cõuertit. Item de auaro disserens capite 10, Auaro, inquit, nihil est scelestius. Quid superbis terra & cinis? Nihil est iniquius quàm amare pecuniam. nec absurde dixit Christus, Difficile est diuitem ingredi regnũ caelorum.*

Prouerb. 16 & 17. Psalm. 36. Ecclesiast. 7. Ecclesiast. 8. Ecclesiast. 10 Matth. 19.

Melius est ergo duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suae, si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli, quia cũ ceciderit non habet subleuantem se: & si dormierint duo, fouebũtur mutuo. Vnus quomodo calefiet? Et si quispiam praeualuerit contra vnum, duo resistunt ei, funiculus triplex difficile rumpitur. *Plurimum commendat Ecclesiastes familiarem viuendi consuetudinem, conciliatam inter homines amicitiam, & comparatam in leuando itineris conficiendi taedio, societatem: sine qua viuere non possumus. Recte dixit Aristoteles 9 capite, 9 ethicorum, felicem indigere amicis, quibus sua largitur beneficia. & non solum in prosperis, verumetiam in aduersis, amico opus est. Et Cicero de amicitia disserens dicit, Quanta autem vis amicitiae sit, ex hoc intelligi maxime potest, quòd ex infinita societate generis humani, quam conciliauit ipsa natura, ita contracta res est, & adducta in angustum, vt omnis charitas, aut inter duos, aut inter paucos iungeretur. Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium diuinarum humanarúmque rerum, cum beneuolẽtia & charitate summa consensio. Qua quidem haud scio, an excepta sapiẽtia quicquã melius homini sit à dijs immortalibus datum: Osten-*

Aristoteles Cicero.

Philosophus *dit etiam philosophus primi politicorum capite 2, hominū societatem esse à natura, dicens hominem natura esse animal ciuile. Et qui in communi societate nequit esse, quique nullius indiget, propter sufficientiā, nulla pars est ciuitatis, quare aut bestia, aut deus.*

Ecclesiast. 9. *Sed tibi consulit prudenter Ecclesiasticus capite 9, vt antiquis adhæreas amicis, Ne derelinquas, inquit, amicum antiquum, nouus enim non erit similis illi. Vinum nouum, amicus nouus, veterascet, & cum suauitate bibes illud. Ad hunc Ecclesiastæ locum edis-*
Hieronym9 *serendum dicit Hieronymus, vera charitas & nullo violata liuore, quanto augetur numero, tanto crescet & robore, quòd si alter amicorum in scrobem inciderit, alterius sub-*
Augustinus. *sidio adiutus, subleuabitur. Solus autem omnino est (authore Augustino hunc locum exponente, libro vno de amicitia capite 5, si tamen opus illud sit Augustini) qui sine amico est. Duos aut ad summum tres deligas amicos, nec facile triplex funiculus rumpitur, nec arctissimum amicitiæ vinculum soluitur. Quòd autem societate amicorum, noctur-*
4. Regū 4. *no sopore incalescant membra, exemplum habes de Heliseo, qui incubuit super quēdam puerum, & calefecit corpusculum eius, & tandem excitauit à morte.* Melior est puer pauper & sapiens, rege sene & stulto, qui nescit prævidere in posterum. Quòd de carcere, catenísque interdum quis egrediatur ad regnum, & alius natus in regno inopia cōsumatur. Vidi cunctos viuentes qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo: infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum, & qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo. Sed & hoc vanitas & afflictio spiritus. *Extollit sapientiam, & præfert adolescentem honestis sapientiæ disciplinis præditum, regi stolidissimo, qui ob morbosam senectutem, & infantilem stultitiam, suis rebus consule-*
Sapien. 6. *re nequit. In libro sapientiæ scriptum est, melior est sapientia quàm vires, & vir prudens quàm fortis. Audite ergo reges & intelligite, discite iudices finium terræ, & aliu*
Sapien. 7. *bi, Bonorum omnium mater est sapientia. Nec despicienda est senectus vitæ immacula-*
Sapien. 4. *tæ. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Quòd autem dicit Ecclesiastes de regibus, quòd alius è carcere egreditur, vt regium munus obeat: alius vero parentum beneficijs regno succedens, in extremam inopiam & calamitatem labitur, ad vanitatis ludum spectat. Secundum, hic vocat adolescentem, filium regis, à patre secundum, qui regiam sui patris dignitatem aliquando assequetur; cui plerunque vulgus propensius est quàm patri. Vocant tamen quidam interpretes, hunc secundum adolescentem, cuius hic meminit Ecclesiastes, interiorem hominem, qui sedatis animi affectibus, veterem exuit hominem. Primum vero adolescentem illum putant dici, qui omnibus vitijs lasciuit, & nullo virtutis retinaculo coerceri potest.* Custodi pedem tuum cum vadis in domum dei, & appropinqua vt audias. Multo enim melior est obedientia, quàm stultorū victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali. *Dat vitæ præcepta, & non vult offendere euntes ad Ecclesiam. non enim ingredi in domū dei, laudis est: sed sine offensione ingredi. Ingredere igitur lotis pedibus sanctuarium domini, nec in sacra æde, priuata tractes negocia, ne à domino eijciaris. me-*

lius siquidem & vtilius esset non ingredi, quàm ingrediendo, illotis manibus sacra contrectare: aut dicacissima loquacitate, & obscœnis confabulationibus, ac turpissimis negotiationum studiis dei domum polluere, & si esset omniũ qui sunt in Ecclesia dei audire sermonem, vt aliis concionando transfunderet, nunquam addidisset, appropinqua vt audias. Denique Moyses solus prope accedebat ad audiendum deum, cæteri non valebant accedere. Quod stulti nescientes remediũ esse peccati, existimant oblatione muneruse, deo satisfacere posse, & ignorant hoc quoq; malum esse atq; peccatum, nolle obedientia & operibus bonis, sed donis & victimis emendare, quod fecerint. Huic cohæret, quod primo Regum dicitur, Obedientia super sacrificium. &, Misericordiã volo, & non sacrificium. Et cum pharisæi dicerent discipulis Christi, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Hæc audiens Christus, dixit: Non est opus valentibus medico, sed male habentibus, Euntes autem discite, quid est misericordiam volo, & non sacrificium. nec tamen Deus sacrificia sibi oblata despicit, si modo syncero affectu offerantur, sed magis amat obedientiam & misericordiam, quàm sacrificium. Exod. 19. & 24. 1. Regũ 15. Osee 6. Matth. 9.

ARGVMENTVM QVINTI CAPITIS.

Nos commonefacit Ecclesiastes, ne temerario ausu, & importuna loquacitate profundamus sermonem, cum deum alloquimur. nam qui lapsantibus verbis, & loquacissima dicacitate diffluunt, stultitiæ arguũtur. Si quid deo vouerimus, præstemus. summopere præcaueamus, ne diuinam prouidentiam despiciamus. Neminem conturbent calumniæ pauperum, & maximæ iudiciorum ruinæ: demus operam, ne cæcus pecuniæ amor, nos inuadat, & suis pedicis irretiat. Detestemur quoq; sordidissimum auaritiæ studiũ, quo nihil est abiectius, nihil denique scelestius.

CAPVT QVINTVM.

NE temere quid loquaris, neq; cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram deo. Deus enim in cælo, & tu super terram, idcirco sint pauci sermones tui. Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia. Si quid vouisti deo, ne moreris reddere. displicet enim ei infidelis & stulta promissio. sed quodcunque voueris, redde. Multóque melius est non vouere, quàm post votum, promissa non reddere. Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam, neq; dicas coram angelo, Non est prouidentia: ne forte iratus deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri: tu vero deum time. Si videtis calumnias egenorum, & violẽta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ rex imperat seruienti. Auarus non implebitur pecunia:

& qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas. Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis? Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non finit eum dormire. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. pereunt enim in afflictione pessima. Generauit filium qui in summa egestate erit. sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quòd laborauit in ventum? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris & in curis multis, & in ærumna atque tristitia. Hoc itaque visum est mihi bonum vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo quo laborauit ipse sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei deus, & hæc est pars illius. Et omni homini cui dedit deus diuitias, atque substantiam, potestatémq; ei tribuit vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo: hoc est donum dei. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quòd deus occupet delicijs cor eius.

NE temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermoné coram deo. Deus enim in cęlo, & tu super terram, idcirco sint pauci sermones tui. Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia. *Falluntur plurimi qui sacras dei aures obtundendo, arbitrantur indiscreta verborum farragine & battologia, se diuinam frangere iracundiam, & suis prolixis precationibus quibus, plerunque parum est pectoris, à deo extorquere, quod exoptant, quos ridet Christus, qui nobis cũ oramus præcipit, ne multum loquamur, vt syncerus animi affectus & quidem diuturnus, importunam loquacitatem temperet.* Apud Euangelium Matthæi, *præscriptam habemus oran-*

Matth.6. *di præceptionem, & moderatam legem.* Orantes inquit Christus, *nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt, putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.* Nolite *ergo assimilari eis, scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis. Cohæret*

Iacob.1. *pulchre verbis Ecclesiastæ, quod dicit* Iacobus *in sua Epistola, Sit autem omnis homo*

Aristoteles. *velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Et *Aristoteles 3. capite 4.* Ethicorum *dicit, ipsius magnanimi, motus tardus esse videtur, & vox grauis,*

Hieronym. *& locutio tarda. Hunc* Ecclesiastæ *locum edisserens* Hieronymus, *dicit saniorem quorundam sectando opinionem,* Ecclesiasten *bis verbis præcipere, ne aut loquentes, aut cogitantes, plus de deo quàm possumus, opinemur, sed sciamus imbecillitatem nostram, quòd quantum distat cælum à terra, tantum nostra opinatio à natura illius separetur: & idcirco debere verba nostra esse moderata. Sicut enim qui in multis cogitationibus est, ea somniat frequenter de quibus cogitat: ita qui plura voluerit de diuinitate disserere, incidit in stultitiam. Eò plerunque tendunt garrulæ disputationes, & earum nullus est finis, nisi fuerit iactura temporis, stultitia & risus. nec absurde dictum est nos*

in multiloquio non effugere peccatum. Vis deuitare ineptissimarum quarundam disputationum somnia? Vita popularem ambitionem, & auram vulgi. Vis assiduis tuorum laborum somniis mederi? Neglige & tolle anxiam tuarũ rerum curam. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta promissio, sed quodcũq; voueris, redde. Multóq; melius est non vouere, quàm post votum, promissa non reddere. *Ostendit quanam semita, quóve prudẽti animo progredi debemus in consecrandis deo votis, ne nos aliquando pœniteat vouisse, nec mediocri dignus est supplicio, qui cum potest votum aut continentiæ, aut religionis obseruare, non obseruat. Nam violat & frangit fidem deo datam. Expressit Moses in* Deuteronomio, *quæ* Ecclesiastes *hic, de voti solutione commemorat. Cum votum voueris domino deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris: quòd autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti domino deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Dauid *quoq; in psalmis dicit,* Vouete *& reddite domino deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Edisserens Augustinus *hunc psalmum, ostendit, quænam vouere debemus, voto quidem communi, & proprio, credere in* Deum, *sperare ab illo vitam æternam, bene viuere secundum communem modum, scilicet non facere furtum, nec adulterium, non amare vinolentiam, non superbire, & sic de aliis vitiis prohibitis. promittimus enim deo in sacro baptismi fonte, quòd ab omnibus vitiis abstinebimus, & pompis mundi renuntiabimus: & hæc voto communi cinguntur. Alius voto proprio & particulari, vouet continentiam coniugalem. promittit enim vir deo &* Ecclesiæ, *quòd sua vxore viuente, non adhærebit alteri, nec disrumpet fœdera matrimonii. Idem erga virum facit vxor, quòd fidem coniugii seruabit. Alius promittit & vouet deo virginitatem: Alius viduitatem, & qui transgreditur votum, fidem deo factam, irritam facit. Vnde* Paulus *ad* Timotheum *reprehendit quasdam adolescentulas viduas, quæ cũ luxuriatæ fuerint in* Christo, *nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, id est vouerunt viduitatem, non tamen reddiderunt. Et qui non adimplent votum, respicientes retro, ad pristinum reuertuntur vomitum, aut magis diligunt mundum, quàm deum.* Vult *deus vt fidem opere compleamus, ne simus similes populo* Iudæorum, *qui spondentes atq; dicentes,* Omnia *quæcunq; dominus præcepit, faciemus, adorauerunt idola, & post verberatos seruos, & lapidibus oppressos, nouissime quoq; ipsum patrisfamilias filium trucidauerunt. Melius est ergo ancipitem diu deliberare sententiam, quàm in verbis facilem, in operibus esse difficilem. Seruus enim qui scit voluntatem domini sui, & non facit eam, vapulabit multis. Intellige propositum honestum, & maturam deliberationem antecedere rationem voti, quæ stabilitur spontanea promissione deo facta. Et licet votum, plenum requirat consensum, si fuerit perfectum, & integrum, qui tamen vouet quidpiam deo, metu maximo perculsus, aut magna tribulatione, aut cum grauissimo corripitur morbo, aut iactatus naufragio, vel periculo belli, si modo intenderit, votum reddere, & vbi votum non deuergit in perniciẽ reipublicæ, vel deteriorem exi-*

Deuter. 23.
Psalm. 75.
Augustinus.
1. Timoth. 5
Exod. 24.
Luc. 12.

tum, tenetur reddere. Nam promissio spontanea, etiam inuoluntario permixta, cū quadam deliberatione, obstringit hominem ad soluendum votum, modo promissioni non desit intentio soluendi votum. Israel enim obseruauit votum, quo se obstrinxit domino Numer.21. *instante belli periculo, contra Chananeum regem Arad, Numerorum capite 21. Minus tamen obligant huiusmodi vota, quàm illa quæ plenissimum habent consensum. Testatur & caput, Venientis, de voto, & voti redemptione, illa vota quodammodo coacte facta, esse haud dubie vota. Subticeat Lutherus votorum monasticorum hostis infestissimus, qui putat illa christianæ libertati aduersari. Si enim Christo aduersarentur & Euangelicæ professioni, non consuleret Dauid vt voueremus, & Deo vota redderemus. Pessime illi contigit fregisse votum, & violasse fidem deo datam. Sed de his plus satis.*

Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam, neq; dicas coram angelo, Non est prouidentia: ne forte iratus dominus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. *Quid promittis, si non potes facere? cur tuis verbis, tuísque pollicitationibus neglectis, prouocas & inflammas carnem tuam ad delinquendum? Non enim in ventum abeunt dicta tua, sed à præsenti angelo qui vnicuiq; adhæret comes, statim perferuntur ad dominum. Et quò magis tibi persuades deum nescire quod pollicitus es, eò magis eū prouocas ad iracundiam, vt omnia opera tua pereant & dissipētur. Nec tibi prætexere potes excusationem, nec de carnis vitio conqueri, quòd tuis adactus voluptatibus & delicijs, compulsus fueris facere corpo*Roma.7. *ris necessitate, quod tamen nolebas, secūdum illud Pauli, Non enim quod volo, hoc ago, sed quod nolo, illud facio. Nam vana est illa excusatio. & quæ aduersus carnem moliris, quòd non peccas, sed caro tua, accendunt vehementer iram dei, quem prouocas quasi authorem mali & peccati. tibi enim ostendit bonum & malum, & contulit liberum arbitrium, vt pro animi sententia deligeres quicquid velles: quod pulchrè ostendit Ec-* Ecclesiast.15 *clesiasticus, dicens, Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua. si volueris mandata, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Hallucinantur vehementer qui putant omnia pertrahi fato, & necessitate immutabili, diuinam omnino abnegantes prouidentiam, & petulantius irruūt in flagitia quæq; perpetranda, nullo timore perculsi: nec igneum & horrendum dei fulmen pertimescunt. quòd si in enormia & inaudita inciderint scelera, non sibi, sed deo aut fato culpam irrogant, sed flagitium flagitio accumulant, & peccatum peccato: quos deus iustè tradidit in reprobum sensum, quorum opera omnino despiciuntur, nec immerito: qui enim non colit deum deiq; prouidentiā, indignus est, vt à deo protegatur. Animaduerte paucis prouidentiam dei, esse quandam rationem eorum quæ ad finem diriguntur. Hæc autem ratio in mente diuina præexistit, qua reguntur omnia, secundum illud* Sapien.14. *sapientiæ, Tu autem pater gubernas omnia prouidentia. Nec diuina prouidentia imponit necessitatem rebus, nisi quarum causæ sunt necessariæ. Si enim deus disposuerit vt quidpiam necessario eueniat, non addubito quin necessario eueniet: si autem contin-*

genter disposuerit, & contingenter eueniet. Sed satis est hæc attigisse. Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri, tu vero deũ time. *Quàm vanum sit incumbere somnijs, & absurdissimis somniorum deliramentis torquere animum, nemo nescit. Nec obsident hominem somnia, nisi sensum habeat potissimum varijs & confusaneis speciebus siue simulacris obrutum. nobis frequenter earum rerum obrepunt somnia, quibus vexamur, sed cum anima per nocturnam quietem varijs fuerit agitata terroribus, debet prorsus phantasmatum deliria, & puerilia somnia contemnere. Verùm huiusmodi visa, & inaudita somniorum ludibria animo curis vacuo concoquuntur & abeunt. Plurimum nobis præstant ad iumenti ad hæc expellenda, integra dei religio, & sanctus timor. Vix labi potest & male perire, qui sub oculos timorem dei sæpissime ponit. Ostendit Ecclesiasticus commoda quæ nobis ex timore dei contingunt, Qui timetis dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra. Qui timetis dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. Et rursus, Qui timent dominũ, inquirent quæ beneplacita sunt ei, & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent dominum, custodiunt mandata illius.* Ecclesiast. 2.

Si videris calumnias egenorum & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ rex imperat seruienti. *Ecclesiastes tacitæ respondet cuidam quæstioni, quæ suboriri poterat, Si diuina sit prouidentia, nec humana fato regantur negotia, quare iusti sustinent calumniam? & quare iniqua fiunt in toto orbe iudicia? & deus quem dicis rebus omnibus prouidere, non vlciscitur horrenda, quæ sub sole fiunt, scelera? Excelsus, inquit, super excelsum. Deus hæc respicit, qui angelos suos super iudices & reges terræ posuit, qui possunt vtique prohibere iniustitiam, & magis in terra valere, quàm quæuis hominum potestates. Sed quia deus seruat in extremo iudicio supplicia malis irroganda, aut quòd acerbius in illos animaduertet, idcirco differt sententiam, & tarditas vindictæ compensabit supplicium. Esaias acerbè in illos inuebitur, qui causam pupilli contemnunt, Pupillo, inquit, non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Esaiæ 1. *Beatus quoque Iacobus in sua epistola, illis succenset, qui pauperes à deo electos, opprimunt. Nónne, inquit, deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Nónne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahũt vos ad iudicia? Nónne ipsi blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super vos? Et hæc Dauid de iniustis & iustis dicit Psal. 36. Iniusti punientur, & semen impiorum peribit: Iusti autem hæreditabunt terram, & in seculum seculi inhabitabunt eam.* Iacob. 2. Psalm. 36. Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis, & hoc ergo vanitas. Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis? *Hæc vix explicatione indigent, &*

Philosophus *iam alibi declarata sunt. Laborat auarus morbo incurabili, authore Philosopho 1. capite 4. ethicorum. Et auaritia magis est insita hominibus, quàm prodigalitas. plerique nanque magis sunt cupidi pecuniarum, quàm ad dandum procliues. Et his cohærent quæ*
Esaiæ 56. *dicit Esaias capite 56, Omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum. Sed quis eo miserior inueniri potest, qui conquisitis abunde diuitijs satiari non potest, nec vnquam suis oblectatur bonis? Quis non illum censeret prorsus ab humanitate alienum, qui non sibi opes comparat, sed ventriculis & lupis?*
Cicero. *Pecuniosi olim authore Cicerone non vituperabantur: qui id nominis sibi asciscebant quòd plura habuissent peculia, id est pecora, sed paulatim nomen per abusionem ad aliud deuolutum est. Hac sola ducitur gloria auarus & diues, quòd oculos suis opibus pascat, nec quicquam putat esse beatius, quàm ingentem suarum diuitiarum cumulum intueri: sed quantò magis augentur eius fortunæ, tantò pluribus indiget ministris, qui partas deuorant diuitias.* Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multũ comedat, saturitas autem diuitis non finit eum dormire. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. pereunt enim in afflictione pessima. Generauit filium qui in summa egestate erit. sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quòd laborauit in ventum? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris & in curis multis, & in ærumna atque tristitia. *Facile obrepit somnus ei, qui diurnum tolerauit æstum, & corpus aut animum moderato labore exercuit. At ediuerso, qui ex indefessis curis & vigilijs nihil fructus sibi conciliat, sed semper incũbit operi, vt auidius accumulet opes, non potest somno suos fouere labores, nec intermittere. Siue enim comedat, siue bibat, animũ habet anxietati & solicitudini immersum. Illis maledictionem*
Lucæ 6. *imprecatur dominus, dicens, Væ vobis diuitibus, quia recepistis consolationem vestram. Aliud ægritudinis & languoris genus etiam pessimũ, expertus est Ecclesiastes, quòd opes cum iactura domini & periculo vitæ, partæ sunt, quas mortem oppetendo: non potest secum deferre. Torquetur vehementius diues, quòd summo cum mœrore genuerit filium, quem ignorat an futurus sit sapiens, vel stultus, an conseruabit opes sibi acquisitas, an potius cõsumet & deuorabit, & in maximã tandem incidet paupertatem: quamobrem*
Ecclesiast. 11 *præclarè dixit Ecclesiasticus, capite 11. Ante mortem ne laudes hominem quenquàm, quoniam in filijs suis agnoscitur vir. Minus debuit ille desudare, quòd ab vtero materno nudus egressus est, nec quicquam in hunc mundum attulit, & nudus in puluerem reuertetur. Quod expressit,*
Iob 1. *Iob 1. capite, dicens, Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Quid illi vnquam profuit in ventum laborasse, & suum panem amaritudine conditum, etiam in densissimis huius mũdi tenebris comedisse? Quid calamitosius, quàm floridam ætatem casso labore, & multis doloribus transigere? Quid denique miserius, quàm diuitum opes in multis etiam laboribus imminui & decrescere? Marcidorum vero & pauperũ facultatulas minimo labore erigi? Audi quæ-*

ſo quid dicat Eccleſiaſticus capite 11. Eſt homo laborans, & feſtinās, & dolens impius, Eccleſiaſt.11
& tanto magis non abūdat. Eſt homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens vir-
tute, & abundans paupertate, & oculus dei reſpexit illū in bono, & erexit eum ab hu-
militate ipſius, & exaltauit caput eius, & mirati ſunt in illo multi, & honorauerunt
deum. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à deo ſunt. Hoc itaque
viſum eſt mihi bonum vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex la-
bore ſuo, quo laborauit ipſe ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ, quos de-
dit ei deus, & hæc eſt pars illius. Et omni homini, cui dedit deus diuitias
atque ſubſtantiam, poteſtatémque ei tribuit, vt comedat ex eis, vt frua-
tur parte ſua, & lætetur de labore ſuo, hoc eſt donum dei. Non enim ſa-
tis recordabitur dierum vitæ ſuæ, eo ꝙ deus occupet delicijs cor eius.
Si calamitoſa ſit illius vita, qui in carcere huius mundi veſcitur pane multis commix-
to ſuſpirijs, doloribus & moleſtijs. melius erit perfrui opibus noſtra induſtria partis,
vnà cum honeſta voluptate & lætitia, & agnoſcere optima dei beneficia nobis colla-
ta. Et licet noſtro labore, ſolertia, noſtríſque ſtudijs multas nobis comparemus diuitias,
nihil tamen abſque diuino præſidio conati ſumus. Dic ſuperbe, vnde tibi induſtria, mē-
tis acrimonia, & ingenij perſpicacitas? niſi à deo optimo, à quo proficiſcitur omne da- Iaco.1.
tum optimum, & omne donum perfectum. Nec tuis viribus potes pedem vnum mouere,
aut attollere faciem in altū, niſi deus voluerit. Quòd ſi cibus corporalis ſit donum dei,
fortiori argumento cibus ſpiritalis. Nec poſſumus cauſari, omnia nobis videri mæſtiſſi-
ma, neqꝫ nobis à deo cōceſſum eſſe, vt lætam agamus vitam, & anxias pellamus curas,
ꝙ nos acerbe torqueat recordatio noſtræ vitæ breuiſſimæ. Nam deus facit noſtro corde
delicijs occupato, ne nobis veniat in mētem permoleſta illa ſeculi breuiſſimi cogitatio.

ARGVMENTVM SEXTI CAPITIS.

Vidit & Eccleſiaſtes pernicioſum ac nouum ſed frequentiſſimum humanæ veſaniæ
morbum, per omnium viſcera repentem, & vbiqꝫ graſſantem. Ea ſcilicet auarum labo-
rare ſtultitia, vt nulla ſuarū opum voluptate perfruatur, tametſi diuino munere præ-
claras rerum terrenarū fortunas obtinuerit: ſed peregrinis, barbaris & ignotis homini-
bus; ſuas facultates relinquit inſumendas, & deuorādas. feliciorem illo exiſtimat abor-
tiuum, qui multis ditatus & bonis & liberis, abſqꝫ vlla ſuarum diuitiarum voluptate
deceſſit inſepultus, cuius nomen facili obliuione obſcurabitur, nec pauperem antecellet
in reddenda vitæ ratione.

CAPVT SEXTVM.

ESt & aliud malum quod vidi ſub ſole, & quidē frequens
apud homines. vir cui dedit deus diuitias & ſubſtantiā
& honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus quæ
deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem deus vt comedat ex
eo, ſed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas, &
miſeria magna eſt. Si genuerit quiſpiam cētum liberos:

& vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius nō vtatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturáque careat: de hoc ego pronūtio, quòd melior illo ſit abortiuus. fruſtra enim venit & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. non vidit ſolē neq; cognouit diſtantiam boni & mali, etiam ſi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis. Nónne ad vnum locum properant omnia? Omnis labor hominis in ore eius: ſed anima eius nō implebitur. Quid habet amplius ſapiens à ſtulto? & quid pauper niſi vt pergat illuc, vbi eſt vita? Melius eſt videre quod cupias, q̄ deſiderare quod neſcias. ſed & hoc vanitas eſt, & præſumptio ſpiritus. Qui futurus eſt, iam vocatū eſt nomē eius: & ſcitur ꝙ homo ſit, & non poſſit contra fortiorem ſe in iudicio contendere. Verba ſunt plurima, multámque in diſputando habentia vanitatem.

EST & aliud malum quod vidi ſub ſole, & quidem frequēs apud homines, Vir cui dedit Deus diuitias & ſubſtantiam & honorē, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem deus vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & magna miſeria. *Demirari nō ſatis poſſum vecordiam hominum & amentiſſimam ſtultitiam, tum in ambiendis honoribus, tum in aucupandis ſumma diligentia pecunijs, vt cum à deo ſummos honores & cumulatiſſimas diuitias obtinuerint, quibus poſſet anima iucundiſſime perfrui, geſtire & oblectari, denſis auaritiæ tenebris occæcati, ſinant extraneos, & hoſtes ſibi inimiciſſimos, ſuis voluptuari, laſciuire & deliciari diuitijs. Quis non aliquando hoc laborauit morbo? Quis deniq; non ſuo parcit ſtomacho, vt graſſatorū & militum vētres omnium voraciſſimos farciat, & ad nauſeam vſque ſatiet? Abſtinet agricola ab eſu delicatiſſimi caponis & perdicis, vt aliquando inuitus ſuorum bonorum gregarijs militibus prædam faciat. Sinit deus vt aliquando auarus ſui vitij miſeriam agnoſcat, & deploret ſuam vitam perditiſſimam. Quid miſerius, quàm noſtra culpa in extremam redigi inopiā? & ſtultiſſima parcitate famelicam agere vitam? Nec in Deum oblatres, ſi auaritia cōtabeſcas, & ſi deus non tibi tribuat poteſtatem vtendi tuis bonis, tametſi à deo profecta fuerint. Nam inexplebilis tuæ auaritiæ cupiditas meruit, vt deus tibi adimeret facultatē fruēdi tuis bonis. Nec te deſerit, niſi prius eum deſerueris. Poteſt & hoc ſpiritalem ſectando intelligentiam de Iſrael intelligi, quòd dederit ei deus legem, prophetas, teſtamētum & repromiſſiones, à quo tamen propter ipſius ſuperbiam, calumnias & ingratitudinē, abſtulit regnum, & dixit ſceleratiſſimis veri hæredis interfectoribus, Auferetur à vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum. Et bona Iudæorum tranſlata ſunt ad gentiles, & peregrinum populum, vt videant illi infeliciſſimi bona ſua, & non fruantur. auſim dicere, & quidem tuto, auarū, eſſe arborem ficulneā, in qua Chriſtus non reperit fructum ſed folia tantùm, cui maledixit dicendo, Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternū, & areſacta eſt continuo ficulnea.* Si genuerit quiſ-

Matth.21.

Ibidem.

piam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturáque careat, de hoc ego pronuntio, quòd melior illo sit abortiuus. frustra enim venit & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. Non vidit solem, neque cognouit distantiam boni & mali, etiamsi duobus milibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis. *Hyperbolicè dicit, Si quispiam genuerit centum liberos, ac si diceret, si multos genuerit liberos, sicut prius dixit, Infinitus stultorũ numerus, & infinitus numerus populi, perinde ac dixisset, multi sunt stulti. Præfert Ecclesiastes hoc in loco abortiuũ auaro, sicut prætulit illum qui nondum est natus, & viuenti & mortuo.* Nam abortiuus nec mala vidit nec bona, *iste verò cũ bona possederit, semper tristitia & vana cogitatione excruciatus est, magísque requiem habet abortiuus quàm auarus: cui ne quidē vnus lætitiæ dies contigit, sed mœrore cōfectus, & bonorum congerendorũ incendio adustus, semper languit, ambo tamē æquali fine rapiūtur, dum hic & ille simili morte subtrahūtur. Sed præferendus est auarus abortiuo, si à suo resipiscat vitio. Nam sui sceleris pœnitētia ductus, hinc ad cælum demigrabit, non autem abortiuus. Quòd autem dicit auarum caruisse sepultura, potest intelligi, quòd diues ille non cogitās de morte futura, sed solùm de possessionibus acquirendis, cũ ad exitum vitæ peruenit, de extruendo sibi sepulchro cogitat: siue quòd propter suas diuitias, inciderit in manus prædonum, quorũ insidijs callidè circūuentus, perijt & abiectus est insepultus. Siue melius, quòd coniectus in carceres huius mundi, nihil vnquam præclarè egit, vt apud posteros sui memoriam relinqueret. & licet multos vixerit annos, non tamen satis exactè potuit perpendere discrimen inter bonũ & malum, qui enim suis bonis nūquam fruitur, nec lætam agit vitam, quidnam sit honestũ, & bonum prorsus ignorat, & sua dignus est auaritia, vt in voratrinam pecudũ proijciatur, & fiat præda & esca coruis & canibus, ille ea laborauit sub sole stultitia, vt atras huius seculi tenebras ingressus, nunquam viderit solem, nec splendidam lucem, nec lætitiam, & voluptates, quibus perfrueretur. Nec vnquam solem iustitiæ videbit, si iisdem vt consueuit volutetur sordibus, quem conspicient liberales, & in omnes beneficentia propensissimi.* Nónne ad vnum locũ properant omnia? Omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non implebitur bonis. *Si spectemus facinus hominis, & grande scelus à primo homine, diuinæ beneficentiæ ingratissimo admissum, nō absurdè dicemus omnia progredi ad vnum tenebrarũ carcerē, & ad hūc spectare locum, quod iam dixerat Ecclesiastes, Quis nouit si spiritus filiorũ Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorũ descendat deorsum? Omnia etiam corruptibilia, de quibus congruentius differit, contendunt in vnum locum, scilicet in terram, à qua desumpta sunt, & hæc visa sunt capite 3. huius operis. Aut forsitan melius, & antiquos patres & in fide Christi ac fonte baptismi renatos, properare ad vnum & idem dei iudicium, in quo tyrannus non præferetur his, quos gladio, minis & tyrannide oppressit. Nec rex suis subditis, nec sapiens stultis, nec diues pauperi. Etenim indicetur omnibus sui laboris iudicium. Nec vllius hominis quantumlibet diuitis, aut sapiētis accipietur*

Matth.16. *persona, sed æqua lance librabuntur omnium opera: & reddet unicuiq; filius hominis secundum opera eius. Nec hypocritæ ultrices dei manus effugient, nec genimina vipe-*
Matth.24. *rarum fugient à iudicio gehennæ. Tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Sicut autem in diebus* Noe, *ita erit & aduentus filij hominis. sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes usq; ad eum diem, quo intrauit* Noe *in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuiũ, & tulit omnes, ita erit & aduentus filij hominis. Nónne igitur frustra, tuo ore tumido, tuos extollis labores? Nónne perperam de tuis vigilijs, erumnis & afflictionibus conquereris? Multũ desudasti, fateor, & alsisti: sed quid tibi prodest corpus reddidisse emaciatum? & tuo laborum pistrino infinitos dolores, ac corporis & animi morbos peperisse? Nónne miser, melius tibi fuisset animam tuam honestissima tuorum bonorum voluptate satiasse? Intellige omnium operam & laborem ore consumi, & attritum dentibus, à ventre absorberi. Vna deuoras horula, quod anxiè multis diebus à te conquisitum est. Quid tuo stomacho & ore voracissimo voracius? Nec tamen tuo farto corpore, satiatur anima. Prius pascis more porcorum, corpus quàm animam, quam ut puto, existimas simul perire cum carne. Nónne tuam ventris ingluuiem sanctissima*
1.Corint.6. *Pauli monitione aliquãdo castigabis? Esca ventri, & venter escæ, & hũc & hanc deus*
Matth.6. *destruet. Audistin quod dicit Christus, Primũ quærite regnum dei, & omnia adijciētur*
1.Corint.8. *vobis. Neq; enim si mãducauerimus, abundabimus: neq; si non mãducauerimus, deficie-*
Matth.15. *mus. Non intelligis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita? Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias. Sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus. P*onat sapiens tumidum arrogantiæ supercilium, suáque omnia despiciat, ut æternam aliquando vitam indipiscatur. Nec ex eo pauperem & indoctum contemnere debet, quòd sui ingenij acrimonia longe plura nouerit quàm stultus. grauius enim subibit tormentum, si dono sapientiæ insolescat: nec diuturniorem sibi potest polliceri vitam, q̃ pauper & pannosus, qui sola hac spe oblectari debet, quòd paupertate sui spiritus, & summa humilitate, ad cælestem beatorũ vitam properabit, ad quam nulli concessum est spatiosa &*
Matth.7. *latissima via contendere, sed duntaxat arcta & angusta. Sequuntur* Christum *qui est*
Ioan.14. *vera & tutissima vita, rerum humanarum contemptores, & qui relictis suis parenti-*
Lucæ 14. *bus, ac abiectis magno animo possessionibus, ad vexillum & crucem domini anhelãdo, solum in suis infirmitatibus gloriantur, & se existimant beatos fore, si rebus optatis aliquando fruantur, & diuinam intueantur essentiam, cuius cõspectu satiamur. quod dicebat* Dauid, *Satiabor domine cum videro gloriam tuam, & longe beatius est videre quod cupimus, quàm desiderare quod nescimus. Nam in illo mens est quieta, & in illo finis constitutus: in hoc verò, anxius labor, & ad capessendam disciplinam conatus.* Et *is melior est qui cuncta prouidet, quàm ille cui nihil placet, nisi quod ipse fecerit, quo nihil est deterius, & omni vento inanius. Hoc morbo laborant doctissimi quique, & maxime disciplinarũ omnium helluones edacissimi, ut nullis unquã literis satiari possint,*

torquetur enim se nescire quod summopere desiderãt. Sed quid hoc fumo vanius? Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius, & scitur quòd homo sit, & non possit contra fortiorem se in iudicio contendere. *Stultissimum censeo curiose sciscitari quo nomine appellari debeat Socrates aut Plato, aut quiuis alius hominũ. Nã diuina rerum præscientia, hanc anxiam & perplexam cogitationem præuenit. Nouit enim deus ab æterno quo nomine creatura vocari debeat. Dicit enim Esaias, Qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat. Sunt & in deo ideæ & rationes, quare vnumquodque sic factum sit, nec eius præscientia tollit liberũ arbitrium, nec prohibet quo minus rebus designentur nomina. Etenim deus optimum primo homini contulit beneficium, vt cuncta animalia suis nominibus vocaret. Nec aliunde quàm diuinitus nouit Elizabeth, quòd eius filius quem peperit in senectute, vocaretur Ioannes, nec etiam pater eius Zacharias, qui postulans pugillarẽ, multis reclamantibus scripsit, dicens, Ioannes est nomen eius. Nec addubitant docti, quin Elizabeth, vt prophetissa, indicauerit illud nomen, aut quòd Ioannes diuino afflatus numine, sibi indiderit nomen, matríque suæ communicauerit donum propheticum. Appositissimè cohærebunt Christo, quæ hic dicuntur de impositione nominum, antequam quis in materno vtero concipiatur, cuius nomen in circuncisione, consummatis ab eius natiuitate octo diebus, vocatum est Iesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in vtero conciperetur. Huic nomini syncera fide & charitate adhærẽtes saluãtur. Non enim aliud nomen sub cælo datum est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et quatenus homo est, minor est patre, cui omnia sua subiecit, eiúsque voluntatem adimpleuit, nec vnquam studuit inani studio, secretissima dei iudicia perquirere, licet quatenus deus, nouerit omnia, & omnipotentiam obtinuerit. Quòd autem dicit Ecclesiastes stolidum esse contra fortiorẽ se in iudicio rixari & contendere, non dissimile est his, quæ dicit Christus in Euangelio Matthæi, Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte aduersarius tradat te iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris: Amen dico tibi non exibis inde donec reddas nouissimum quadrantem. His consentanea sunt, quæ dicit Ecclesiasticus, Non litiges cũ homine potẽte, ne forte incidas in manus illius, Non contendas cum viro locuplete, ne forte econtra constituat litem tibi, multos enim perdidit aurum & argentum, & vsque ad cor regum extendit & conuertit. Plerunque accidit vt sinant pauperes, sua omnia perire bona, quòd non audeant in fallacissimo & corruptissimo hominũ iudicio, conserere manus cum diuitibus, qui iudicum ingenia & oculos, summis muneribus occæcant. Dic pauper, cur taces? cur non tibi patet aditus ad domum iudicis? Inopia, dices, me à conclaui excludit, furca plector, si velim de diuite, imò raptore meorum bonorum, apud iudicem conqueri. pecuniæ & numerosissimi diuitum nummi, meam causam etiam iustissimã obtenebrant, aut ad diem extremi iudicij, in quo meæ querimoniæ rationem sum habiturus, protelant & differunt. dicunt aliqui Ecclesiasten, innuere hominem frustra in extremo iudicio cum deo cõtendere, quem scit seipso esse longe iustiorem & fortiorem, & temere conqueri de eius iustitia, quòd hunc ad æternam mercedem vocat, illum verò ad inferos detrudit. in vanũ disputas & al-*

Esaiæ 40. Gene. 2. Lucæ 1. Luc. 2. Act. 4. Ioan. 14. Matth. 5. Ecclesiast. 8.

tercaris, quod enim meruisti, tibi rependit. Verba sunt plurima, multámq; in disputando habentia vanitatem. *Si cohæreant subsequentia præcedentibus, nec absurde cohærent, huc tendunt diuina* Ecclesiastæ *verba, rixosas & garrulas quorundam causidicorum, & patronorum conflictationes, quibus plerunque se mutuo mordēt, & suam famam dilacerant quæstus consequendi gratia, derisui haberi, & stultissima vanitate intercipi. nisi velis hæc, in vniuersum interpretari, de ineptissimis quarū dam disputationum delirijs, & infantissimis concertationibus, in quibus vincunt clamosissimi, & qui Stentorea voce auditorum aures obtundunt. Hæc, mera putat* Ecclesiastes *somnia, imò somnijs vaniora. Pugnent si velint sophistæ argutissimi in* Ecclesiasten, *quem non facilius superabunt, quàm veritatem. nec ægreferas quæso, si audias ab optimo concionatore, tua corrigi scelera: desine altercari, & ineptire, futilissimas & inanes quæstiunculas, tanquam Syreneos scopulos deuita, & da operam, vt vni sanæ doctrinæ studio, te aliquando addicas, & in sacris literis consenescas. Possumus & hunc locum edisserere de illis, qui in multiloquio offendunt, & quò pluribus altercantur verbis, eò magis suam produnt infantiam.*

ARGVMENTVM SEPTIMI CAPITIS.

Nihil stolidius, nihil denique amentius quàm imbecillitate nostri ingenij, velle sublimia rerum occultissimarum arcana penetrare, & ad amussim comprehendere, cum vix possimus crassa & stupida nostræ mentis hebetudine, quid nobis conducat, intelligere. Expendamus & prudentius summas nostræ vitæ ærumnas, labores, & infinita nostræ animæ discrimina, nósq; magis occupet luctus quàm risus. Quàmmaximas agamus gratias illis, quorū monitis & cohortatione à vitijs resipuimus. Nobis temperemus ab ira, nec obmurmurent fœtidissima scelerum nota sordidati, si diuina gratia destituantur. Amplexemur aduersus turbulentas mundi procellas, vnicum sapientiæ studium, quo captiosas hominum argutiolas eludere possimus.

CAPVT SEPTIMVM.

QVid necesse est homini maiora se quærere, cum ignorat quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suæ, & tempore quod velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub sole sit? Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa: & dies mortis, die natiuitatis. Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domū conuiuij. in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuēs cogitat quid futurum sit. Melior est ira risu: quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorū adulatione decipi: quia sicut sonitus spinarū ardentiū sub olla, sic risus stulti. sed & hoc vanitas. Calumnia con-

turbat ſapienté,& perdet robur cordis illius. Melior eſt finis orationis, quàm principium.melior eſt patiens arrogáte. Ne ſis velox ad iraſcendum: quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. Ne dicas, Quid putas cauſæ eſt, ꝗ priora tempora meliora fuere quàm nunc ſunt? ſtulta enim eſt huiuſcemodi interrogatio. Vtilior eſt ſapientia cum diuitijs, & magis prodeſt videntibus ſolé. Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio & ſapientia, quòd vitam tribuunt poſſeſſori ſuo. Conſidera opera dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit. In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue: ſicut enim hanc, ſic & illam fecit deus, vt non inueniat homo cótra eum iuſtas querimonias. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ. Iuſtus perit in iuſtitia ſua, & impius multo viuit tempore in malitia ſua. Noli eſſe iuſtus multum, neque plus ſapias, quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas. Ne impie agas multum: & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. Bonum eſt te ſuſtentare iuſtum, ſed & ab illo ne ſubtrahas manum tuam: quia qui timet deum, nihil negligit. Sapientia confortauit ſapiétem, ſuper decem principes ciuitatis. Non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonū, & non peccet. Sed & cunctis ſermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne forte audias ſeruum tuū maledicentem tibi. ſcit enim conſciétia tua, quia & tu crebro maledixiſti alijs. Cuncta tentaui in ſapientia. Dixi, ſapiens efficiar: & ipſa longius receſſit à me, multo magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eā? Luſtraui vniuerſa animo meo, vt ſcirem & conſiderarem, & quærerem ſapiétiam & rationem, & vt cognoſcerem impietatem ſtulti, & errorem imprudétium: & inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorū eſt, & ſagena cor eius. vincula ſunt manus illius. Qui placet deo, effugiet illam: qui auté peccator eſt, capietur ab illa. Ecce hoc inueni, dixit Eccleſiaſtes, vnum & alterum, vt inuenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi: mulieré ex omnibus non inueni. Solummodo hoc inueni, quòd fecerit deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus. Quis talis vt ſapiés eſt? & quis cognouit ſolutionem verbi?

QVid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere? cum ignoret quid conducat ſibi in vita ſua, & numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore quod velut vmbra præterit. Aut quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurum ſub ſole ſit? *Omnium, niſi me fallat opinio, ſtultitiam arguit, increpat, & inſectatur, qui curioſius abditiſſimas rerum omnium cauſas, quas ſolus deus agnouit, ſuis ingenijs, ſuóq; marte intelligere volunt. dolent perperam, ſi imperſcrutabilia dei iudicia, voluntatem, cōſilia, & præſcientiam non plane cognouerint: quorum deliria mordicus infixa animo, duplici ratione eludit & ſubuertit. Si*

enim homo sit nescius eorũ quæ sibi conferunt in vita, facilius ignorabit sublimia dei cogitata, & quæ vires sui ingenij exuperant. Adde quòd si eum lateat, quid futurum sit postquam è vita decesserit, & quo tempore ab hoc domicilio demigrabit, fortiori argumento, quæ à sola dei sapientia & voluntate pendent, ignorabit, non ægreferat se repere humi, nec doleat, quòd permolestum istarum tribulationum carcerem ingressus, non possit lutulenta corporis sarcina prægrauatus, res diuinas syncerè cõtemplari. Audi lubenter, vt tua deferuescat iracundia, & ne altiora te inuestigaueris, quod dicit Ec-
Ecclesiast.1. clesiasticus, sapientiam dei præcedentem omnia, quis inuestigauit? Et apertius aliubi te
Ecclesiast.3. monet, ne sublimiora dei mysteria perscruteris, Altiora te, ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius, ne fueris curiosus: non est tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis. Nónne etiam deus reprehendit Mosen, quòd vellet in terris diuinam intueri glo-
Exod.33. riam? cui dixit, non poteris videre faciem meam, Exod.33. Nam quærebat ille subli-
Roma.12. miora se. Et prudenter nos monet Paulus ad Romanos, ne plus sapere velimus quàm oportet, Nõ plus, inquit, sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatẽ. & rursum, Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nónne Christus acriter repulit matrem filiorum Zebedæi, & eius liberos, quòd maiora se quærerent, adorans Christum dicebat illa, Dic vt sedeant hi duo filij, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in re-
Matth.20. gno tuo. & respondens Christus discipulis illis, qui ad hoc munus à Christo extorquendum, matrem impulerant, dixit, nescitis quid petatis. Nescit etiam quid petit, qui primas honorum partes, aut summos magistratus, aut præclara officia, quibus iudicãt omnes eum esse indignum, efflagitat, nonne altiora se petit? Mihi rectè visus est dixisse
Socrates Socrates philosophorum fons vberrimus, cum ad ethicen transiret: Quæ supra nos, nihil ad nos. quo documento commonemur, vt omissis rebus sublimioribus, circa humiliora versemur. Quòd autem dicit Ecclesiastes, tempus nostrum velut vmbram præterire, indicat nihil homine fragilius, qui à tenuissimo filo pendet, quod citius dicto disrum-
Sapien.2. pitur. Huic cohæret sententiæ, quod in Sapientia scriptum est, Vmbræ enim transitus, est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri, quoniam consignata est, & nemo reuertitur. Melius est nomen bonum, quàm vnguẽta pretiosa, & dies mortis, die natiuitatis. Spirant vnguenta exquisitissima, quodam temporis momento fragrantissimũ odorem, quo nihil est naribus suauius, nec tamen semper idem oblectamentum habent, sed sensim emoritur & putrescit: optimum autem nomen ab honesto virtutum studio comparatum, natiuam semper gratiam retinet, & nullo ætatis se-
Prouerb.22 nio emarcescit. Non longe hinc euariat, quod in Prouerbijs dicit Salomon, Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, super argentum & aurum gratia bona. Et longe expetibilius est, è carcere corporis egredi, & turbidis perturbationum fluctibus carere, quàm in hoc miserrimo seculo, huiusmodi molestijs affligtari. Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit. Sanè optabilius est ad exequias funeris proficisci, quàm ad domũ voluptatis & conuiuij. Agnoscis exem

plo mortui tibi sub oculos posito, deas fatales nulli quantumuis diuiti & sapienti, parcere: viso etiam tetricæ & pallidæ mortis speculo, tibi subit in mentem, futuri ab hoc mundo digressus recordatio, & inspecto præsenti cadauere, tuã domas superbiam, commoueris plurimum, ad detestandam ventris ingluuiem, magisque animo versas tuam fragilitatem, bulla fragiliorem. In domo verò cupediarum, lætitiæ & lautissimi conuiuij, si quid timoris aliquando habueris, amittis, anxias pellis curas, nec te minacissima mortis spicula terrent, quæ citius te ferit quàm putabas. Nec *vnquam* Ecclesiastes *voluptatem cunctis rebus anteponendam esse censuit, vt pleriq; malè existimant, sed conferendo lætitiam & voluptatem auaritiæ, & nimiæ parcitati, melius esset tantillo tempore perfrui bonis cum lætitia, quàm immodicis congerendarum diuitiarum curis & doloribus angi & diuexari. Animaduerte tamen Christum in* Euangelio *præferre luctum gaudio:* Beati, *inquit, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. &, Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis & flebitis.* Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia. Melius est à sapiente corrigi, quàm stultorum adulatione decipi: quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti: sed & hoc vanitas. *Incutiunt nobis timorem, qui nostris vitijs irascuntur, quorum tristi & mœstissimo vultu, plerũq; nostram ingemiscendo agnoscimus culpam: fatemur vt eorum iram leniamus, nos deliquisse. quòd si tristitia afficiamur conspectis aliorum erratis, multo magis debemus nostra detestando scelera, pro rebus à nobis turpiter gestis tristari. Ad hunc locum edisserendum, dicit* Hieronymus, *risus dissoluit sapientem, ira corripit & emendat. cor sapientis non discedit à domo luctus. Luxit Samuel regẽ Saulem omnibus diebus vitæ suæ. & luxit Paulus eos qui post varia peccata, noluerunt agere pœnitentiam. Sapiens igitur mærore confectus, properat ad domum improbi, vt eũ ad resipiscentiam adducat, & propria velit deflere peccata: qui verò hominum vitijs adulatur, parat gladium quo iugulentur, & neminem sua assentatione ad pœnitentiam prouocat, sed potius ad assuescendum pristinis impro bæ vitæ moribus.* Nec *aduersantur quæ hic commemorat* Ecclesiastes *de ira,* Euangelicis *disciplinis, in quibus dicit* Christus, *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. nam id putat Chrysostomus intelligendum, sine causa: non enim licet absque causa subirasci, nec in ebullientem iracundiam furere debemus, tametsi non existimet* Hieronymus *addendum, sine causa. sed de hac controuersia aliubi fusius loquuti sumus. Si nullo modo liceret irasci, temere dixisset Dauid, Irascimini & nolite peccare. &* Paulus, *Sol non occidat super iracundiam vestram. Aristoteles primo libro magnorum moralium laudat subirascentiam, vituperat autem iracundiam. & 4 ethicorum dicit mansuetudinem esse virtutem oppositam iracundiæ & vacuitati iræ, licet enim irasci pro quibus oportet, & quantum oportet, & vt oportet. Admonet subinde* Ecclesiastes *vt lubenter patiamur ferulam sapientis, nec iniquo feramus animo, nos ab optimo præceptore corrigi. multo enim præstat subducere manum ferulæ, & aliorum censuris vapulare, quàm blanda adulatione, qua nihil est adolescentiæ pestilentius ac no-*

Matth. 5.
Luc. 6.
Hieronym.
1. Regũ 16.
2. Corint. 12
Matth. 5.
Chrysostomus.
Hieronym.
Psalm. 4.
Ephes. 4.
Aristoteles.

Prouerb.17 *centius, decipi. Nec dissimile huic sententiæ videtur quod in Prouerbijs dicitur, Melior est manifesta correctio, quàm amor absconditus, Meliora sunt vulnera diligentis,*
Prouerb.3. *quàm fraudulenta oscula odiētis. & aliubi Prouerb.3, te monet: ne abijcias disciplinam domini tui, nec deficias cū ab eo corriperis: quē enim diligit dominus, corripit. Et quemadmodum spinæ ardentes sub olla, solum stridorem & insuauem sonitum emittunt, quo nullus oblectatur, ita solū dissolutus stulti risus, & scurræ cachinnus, stridet & citius aura tenui disparet, & perit, nec quenquam nisi cui placet immodice, delectat. Ve-*
Prouerb.14 *reor ne plerunque risus misceatur dolore, & extrema gaudij luctus occupet. Prouerb.14.*

Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis eius. *Qui nititur perfectam sapientiæ disciplinam, quæ probitate morum carere non potest, assequi, capitali prosequitur odio imposturas hominum, & calumnias subdolo mentis artificio excogitatas: irascitur & acriter illis, qui aut amicitia, aut fauore, aut donis, inuiolata æquitatis iura subuertunt, & de gradu iustitiam deijciunt, quo nihil sanè scelestius, nihil deniq; reipublicæ perniciosius: & qui desiderant sub honestissimo iustitiæ sacramēto militare, illiq; se totos addicere, conspectis hominū sceleribus & calumnijs, non possunt non dolere & conturbari. Et sapiens, de quo hic differit Ecclesiastes, discipulus est sapientiæ nanciscendæ studiosissimus, quem si correxeris, non indignatur, sed gaudet:*
Prouerb.9. *quod expressit Salomon in Prouerbijs, dicens: Argue sapientem, & diliget te: nec potest homo optimis educatus disciplinis, æquo ferre animo calumniatorum fautores, qui à re-*
Prouerb.2. *cta æquitatis semita exorbitant, qui deniq; relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas, qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, quorum viæ peruersæ, & infames gressus eorum: sapiens autem perfectus & omnibus sapien-*
Hieronym⁹ *tiæ numeris absolutissimus (qui, teste Hieronymo, hoc in loco non exprimitur) nulla indiget argutione, nulla deniq; calumnia perturbatur, quem imperio dignū existimo. Eam enim sapientia maiestatem, & augustam dignitatem præ se fert, & iure sibi vendi-*
Prouerb.8. *cat, vt reges doceat quo pacto imperare debeant. Per me, inquit, reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. nec qui in virum sapientissimum euasit, muneribus occæcari potest, tametsi imperfectus sapientiæ discipulus, huiusmodi illectamentis irretiatur, & perdat aliquando*
Deuter.16. *robur animi & fortitudinem cordis. Excæcant enim, vt dicit Moses, munera etiam sa-*
Ecclesiast. 8. *pientum oculos. Asserit & Ecclesiasticus, multos aurum & argentum perdere, & vsque ad cor regū se extendere.* Melior est finis orationis, quàm principium. *Qui attente audiuit finem orationis, multa didicit, & perfectus euadit, qui vero auscultat solum exordijs, & orationis præludia audit, incipit solum discere. Meliores sunt in dicendo epilogi, quàm exordium: in illis finitur dicentis solicitudo, in hoc verò incipit. Quòd si sublimius Ecclesiastæ verba contemplemur, nostram scientiam dum hic agimus, multis etiam partam vigilijs, arbitrabimur dūtaxat esse quoddam tenue sapientiæ*
1.Corint.13. *primordium: at vbi aduenerit quod perfectum est, abijciemus quod imperfectum erat, & euacuabitur quod erat ex parte.* Melior est patiens arrogāte. *Multo melius est hominem esse patientissimum, quàm insano impatientiæ furore raptari. refrenanda*

est toto pectore impatientia, & furibunda cõmoti animi iracundia. Paulus nobis aperte indicat, *quidnam emolumenti nobis adferat æquabilis tolerantia, & in aduersis patientia. Tribulatio, inquit, patiẽtiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* & Iacobus, *Probatio fidei vestræ patientiã operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Et *hoc patientiæ specimẽ nobis perfecta erga Christũ charitas exhibet. charitas enim patiens est, & benigna, omnia suffert, omnia sustinet.* Agnoscas ex eodem Paulo, *Deum omnium esse patientissimum, & patiẽtiæ diuitijs affluere. An, inquit, diuitias bonitatis eius, & patiẽtiæ & longanimitatis contemnis? Christum habes vnicũ patientiæ exemplar, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non cõminabatur.* Et cum *Pharisæi dicerent eũ esse à dæmone obsessum, non retaliauit iniuriam iniuria, sed simplici sermone respondit,* Dæmonium nõ *habeo. adde quòd cum illi improperarẽt, quòd in Beelzebuth principe dæmoniorum eijceret dæmonia, non mouit bilem neq; stomachum, sed eos confutando, respondit,* Si in *Beelzebuth eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt?* Et cum *quidam superbus & arrogans ei incussisset colaphum, vindictam cõtempsit, cui dixit, Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis?* Nec *deest nobis ratio ad suadendum, patientem esse meliorem arrogante. patiens fulmina fortunæ contẽnit, & aduersa quæque tolerat: arrogans verò, minimis fortunæ fulminibus frangitur, & rebus aduersis facile succumbit.* Adhec, *patiẽs in rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus, nihilo fit elatior: arrogans verò maximè insolescit.* Iob *mortalium omniũ patientissimus inuicta animi constantia, & æquabili rerum humanarum tolerantia, immortalem sibi gloriam peperit, qui liberis omnibúsq; fortunis amissis, satis habuit dicere,* Nu-*dus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Dominus dedit, dominus *abstulit, sicut domino placuit, ita factum est. sit nomen domini benedictũ.* Et licet *grauissimo vulnere percuteretur à capite vsq; ad pedes, & sederet in stercore, & putrescẽs vlcere, sanie flueret, vermibúsq; scateret, & acerbissimis dolorũ tormẽtis excruciaretur, nunquã tamen de summo patientiæ gradu deijci potuit, nec aduersus dominũ murmurauit.* Nec Tobias *rarum patiẽtiæ exemplar, in rebus aduersis contristatus est cõtra deum: qui excrementitia hirundinum fæce excæcatus, sinistrum illum casum tulit constantissimè.* Et quis *vnquam ipso Esaia tolerãtior fuit? qui cum sub* Manasse *rege truculentissimo, serra lignea in duas partes secaretur, atrocissimum illud tormentum constanter & sedatè pertulit.* Ananias *etiam, Azarias, & Misael, in fornacem ignis ardentis coniecti, hymnum domino ibidem cecinerũt, & glorificauerunt deum, quòd nullum impatiẽtiæ telum eos transfixerit, & illæsi incẽdium euaserint.* Nec *subticere possum nunquam satis commendatam* Stephani *protomartyris patientiam, qui cum lapidibus obrueretur, non solum percussoribus pepercit, sed de percussorum salute, maximè fuit solicitus. Syluam habes patientiæ in sacris scripturis, satis nobis fuit, paucula adduxisse exempla.* Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *Nec tamen prohibet Ecclesiastes, quo minus irascamur, & potissimum, cum scelera hominum corrigenda sunt, sed monet, ne igneus & repẽtinus vindictæ furor,*

Rom. 5.
Iacob. 1.
1. Corint. 13.
Roma. 2.
1. Petr. 2.
Ioan. 8.
Matth. 12.
Ioan. 18.
Iob 1.
Tobiæ 2.
Daniel. 3.
Act. 7.

nos ad irascendum impellat.plerūq; enim iracūdia superbiæ iuncta, desiderat vltionē.
Iaco.1. *Et huic cohæret sententiæ,quod dicit Iacobus,Sit autē omnis homo tardus ad iram,Ira enim viri,iustitiā dei non operatur.intellige de ira incōposita & immoderata.Hāc enim stulti,& arrogātes in suo sinu fouent,qua in obuios quosq; destomachantur & sæuiūt.*
Prouerb.21. *Superbus,vt dicit Salomon,& arrogans,vocatur indoctus,qui in ira operatur superbiam.*
Prouer.27. *& alibi,Ira non habet misericordiam,nec corrumpens furor,& impetum concitati spiritus ferre quis poterit?* Ne dicas,quid putas causæ est,quòd priora tēpora meliora fuere,quàm nunc sunt?Stulta enim est huiuscemodi interrogatio. *Illos deridet Ecclesiastes & arguit,qui tantū & authoritatis & honoris, suis temporibus detulerunt,vt putent,nescio quānam superstitione & vana religione obnubilati, eos qui præsenti seculo viuunt, & florent in optimis disciplinis, indignos esse vt cum ipsis conferātur.Laborántne philautia? non ausim dicere quòd omnino delirant.Videtur haud dubie iniuriam facere creatori vtriusq; temporis,qui vetus seculum,præsenti anteponit.Virtutes siquidem bonos dies & diuturnos efficiunt,vitia vero,malos.nec dicas illos qui cum Mose & Christo vixerūt,longe præferendos esse his, qui nunc viuunt.Nam plurimi illo tempore fuerunt,superbi,arrogantes,& increduli:*
Ioan.20. *nunc autem multi reperiuntur credentes,de quibus ait saluator,Beati sunt qui non viderunt & crediderunt.Quis nescit tempora Moysi,legem habuisse non viuificātem, neq; quempiam ex operibus illius legis iustificatum fuisse? At subsequentia tempora, Euangelium & legem gratiæ,nobis attulerūt.hoc tritum excuses erratum:sua quiq; laudant tempora, suum cuiq; pulchrū: sua habuerūt sophisticæ nugæ tempora, sua nunc habent bonæ literæ,quod debemus deo optimo referre acceptum.* Vtilior est sapientia cum diuitijs,& magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia,sic protegit pecunia.hoc autem plus habet eruditio & sapientia,quòd vitam tribuit possessori suo. *Tametsi sapientia longe præcellat diuitias, maiori tamen gloria dignus est sapiens diues, quàm sapiens pauper. qui enim sapientiæ studia assequutus est, cui facultates desunt, potest quidem docere,& liberales profiteri disciplinas,sed interdum non potest præstare quod petitur, minúsq; præclara molietur opera,quàm sapiēs pecunijs instructus. etenim nummi,plurimum nobis præstant adiumenti ad scientiam comparādam. sunt enim pecuniæ,omnium nerui,quibus instruitur exercitus,extruuntur ædificia,& gymnasia,alitur familia,pecunijs nihil nō*
Philosophus *arduum intentamus & molimur,quibus etiam felix indiget.Non enim,vt dicit Philosophus primo Ethicorum, cap.8. res aget præclaras,cui facultates desunt.& quemadmodum nos tuetur sapientia,ita & pecunia:& qui vtrisq; bonis antecellit, dignus est vita,dignúsq; vt solem conspiciat, magis tamen & tutius nobis comparamus senectutis viaticum ab eruditione & disciplinis,quàm à pecunia:& quietior est vita & tranquillior ab honestis parta studijs,q̄ à diuitijs.Et quo magis profūdimus scientiæ thesaurum, eo magis crescit: at contrà in pecunijs & opibus,quo enim magis profunduntur, eo magis decrescunt.* Considera opera dei, q̄ nemo possit corrigere quem ille despexerit. *Hæc plurimum me mouent,& acrius excitant sceleratissimos quosq;,*

qui densa suorum facinorum nube obnubilati, nullum existimant suæ improbæ vitæ censorem, & æquissimum iudicem, nec tamen diuina exulant sententia, nisi demeruerint exilium. Quid causæ est, vt nullis hominũ monitis & precibus, ab improba consuetudine reuocētur? Superbia sanè, & mens in vitijs obstinatissima. Nec tamen prius à deo despiciuntur, quàm deum despexerint. Si dedita opera in lutũ ceciderint, cur deo improperāt? cur sui supplicij vindictā quærunt? murmurabísne miser, si deus te claudum, aut mutum, aut cæcum fecerit? hunc verò erectum, & expedita lingua disserētem, & in rebus omnibus oculatissimum? Moysi nempe ita loquitur deus, *Quis fecit mutũ & surdum, videntem & cæcum, nónne ego dominus deus? & dicat,* Cur cæcus & *surdus & mutus ita creati sunt? & cætera his similia. Te flectet, velis nolis, Paulina illa sententia, Voluntati eius quis resistit? improperabísne deo quòd Esau, antequam nasceretur, odio habuit, Iacob verò dilexit? vtriusque præuidit merita aut demerita. Audi quídnam de inscrutabili huiusce rei iudicio dixerit* Moysi, *Miserebor cuius misereor; & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Idcirco concludit Paulus, igitur non volentis neq; currentis, sed miserentis est dei. dicit enim scriptura* Pharaoni, *Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meũ in vniuersa terra.* Ergo cui vult miseretur, & quem vult, indurat. Adducit & Paulus quod dicit Propheta, *O homo tu quis es, qui respondeas deo?* Nunquid dicit *figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Si velis scire, quare corrigi non potest, aut difficile emendabitur, quem deus despexit, promptā exhibebo rationem.* Vas *christianæ religionis, infinitis oppletum sordibus, & potissimum liuida erga proximũ iracundia, & iugi detractione, est in causa, quod in eodem capite* Paulus *manifestissimè indicat, Quòd si deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitũ. &c. Et prius idem expresserat, dicens, Secundum autem duritiam tuā & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei. & cohærent* Ecclesiastæ *verbis, quæ asseuerat beatus* Ioannes *in prima epistola canonica, vbi ita scribit, Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Explicat* Augustinus *tomo. 10. sermone 59. quídnam sit peccatum vsq; ad mortem, vbi dicit, Peccatum ad mortē est, cũ post agnitionem dei, per gratiam domini nostri Iesu Christi, quisq; oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiā, qua recōciliatus est deo, inuidētiæ facibus agitatur. Peccatum autem non ad mortem est, si quisquam non amorem à fratre alienauerit, sed officia fraternitati debita, per infirmitatem aliquam animi, non exhibuerit. Et libro primo retractationum, capite 29. dicit de peccato ad mortem vsq; perseuerante, si peccator in tam scelerata mentis peruersitate finierit vitam. Hoc autem peccatum existimo esse in spiritum sanctum, de quo dicit* Christus, *Quicunq; dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo neq; in futuro. Deus tamen ex se, suáque misericordia, paratus est omnibus lapsis suũ præbere subsidium.* In die bona frue-

Marginal notes: Exod. 4. — Rom. 9. — Malach. 1. — Exod. 33. — Exod. 9. — Esa. 45. — Hierem. 18. — Roma. 2. — 1. Ioan. 5. — Augustinus. — Matth. 12.

re bonis, & malá diem præcaue: sicut enim hanc, sic & illam fecit deus, vt non inueniat homo contra eũ iustas querimonias. hæc quoque vidi in die vanitatis meæ. *Tibi consulit Ecclesiastes, vt dum honestam & trãquillam agis vitam, tuis fruaris bonis, nec excites in deum, querimoniæ tragædiam, quòd creauerit bona & mala, & occasione mali à deo creati, facilius corrueris: nam malũ quod creauit siue afflictio, tibi, si rectè dei volũtatẽ intellexeris, in bonũ cedit. voluit deus ne in prosperis efferreris, aut insolesceres: nec in aduersis deijciaris. vt sis quadrato firmior, & æquo omnia feras animo. Quòd autẽ deus creet bona, probationẽ habemus in* Genes. 1. *Genesi: Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. & 3. cap. huius operis dicit* Ecclesiast. 3. *Ecclesiastes, Cuncta fecit bona in tẽpore suo. ꝙ autem deus creet malũ pœnæ, non autẽ* Esaiæ 45. *culpæ, ostendit illud Esaiæ, Ego sum deus qui facio pacẽ, & constituo mala. Plura de hac re huc adferrem, nisi latius hoc tractassem negotiũ lib. 4. nostræ Theosophiæ cap. 14.*

Iustus peribit in sua iustitia, & impius multo viuit tempore in sua malitia. Noli esse iustus multum, neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas. ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. Bonum est te sustentare iustũ, sed ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet deum, nihil negligit. *Suspicantur Hebræi iustos* Leuitici 10. *pereuntes in sua iustitia, esse filios Aaron, Nadab & Abiu, ꝙ dum putarẽt se iustè agere, alienum ignem obtulerunt, à quo deuorati sunt. Et impium longæuum in malitia sua, Manassen dicunt, qui post captiuitatem restitutus in regno, longo deinceps vixerit tem*- Hieronym. *pore. Hieronymus tamen edisserit hunc locum, de illis, qui constanti animo & æquissima iustitia, pro tuenda Christi religione & doctrina, non solum perdiderunt animam suam, prompto obsequio, verumetiam se obtulerunt tormentis. De illis dicit Christus in* Matth. 10. *Matthæi euangelio, Qui inuenit animam suam perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Machabæi etiam pro lege dei atque iustitia, visi sunt in sua perire iustitia, & martyres qui sanguinẽ fudere pro Christo: econtrario, qui ex illo tempore suillam carnem comederunt, & post aduentum domini sacrificauerunt idolis suis, hi visi sunt in hoc seculo viuere, & propter suam malitiam perseuerare lon*- Esaiæ 57. *gæui. Et cũ enarrat illud Esaiæ, Iustus perijt, & non est qui recogitet in corde suo &c. dicit, propter speculatores cæcos & canes mutos, qui isti pastores sunt, nescientes intelligentiam, nec præsentibus saturantur voluptatibus, sed semper se præparant ad fu*- Matth. 27. *turas, iustus perijt: de quo dicit vxor Pilati, nihil tibi sit, & iusto illi. Deinde monet Ecclesiastes, ne sis æquo iustior. Illum existimo nimis iustum esse, qui exacto & rigido iustitiæ iudicio, fratrum peccata non tam conspicit quàm punit, quibus aliquando propter naturalem pigritiam aut stuporem mentis, aut ignorantiam, deberet indulgere, & veniam impartiri: inhumana quippe est iustitia, non posse fragilitati hominum parcere, cum enim nullus sit tam sapiens, támque perfectus, quin aliquando offendat, debemus in alijs infirmitatem agnoscere, quam & in nobis sentimus. non immerito dicebat* Matth. 7. *Christus: Nolite iudicare, vt non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudica*- Prouerb. 20. *bimini. Noli esse iustus multum, quia pondus grãde, & pondus paruum, abominatio est*

coram domino, audi quid te velit Paulus ad Galatas 6: Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Aut cum dicit Ecclesiastes: Noli effici iustus multum, non notat iustitiam sapientis, sed superbiam præsumētis: qui ergo fit multum iustus, ipso nimio fit iniustus: multum enim se facit iustum, qui dicit se non habere peccatum, aut qui se putat non gratia dei, sed sua voluntate sufficiente effici iustum, nec recte viuendo iustus est, sed potius inflatus, putando se esse quod non est. Hæc *Augustinus tractatu 95, in* Ioannem, *exponens locum illum: cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. quòd si altius sublimiora quæque assequi putes, maximo turbaberis stupore, infigendam putes oculis, tuam animi imbecillitatem. qui enim supra vires conātur, & superbo animo nihil non arduum intentant, & pessimam agunt vitam, repentino excidunt fato, & vltricem dei manum effugere non possunt, & moriuntur in tempore non suo: sunt enim in causa, vt breuissimam agant vitam. Nouimus ex veteri instrumento* Chore, & Dathan, & Abiron *propter seditionem, aduersum* Moysen & Aarōn, *repentino terræ hiatu deuoratos: & ad emendationem malorum, ante diem iudicij etiam in hac vita plurimos iudicatos. Quòd verò subnectit* Ecclesiastes, *bonum esse sustentare iustum, sub omnium ponit oculos, propensissimam erga iustos beneuolentiam, quibus congratulari debemus: nec solum adnitendum est, eorum maiestatem reuereri, verumetiam quæ ab illis præclarè gesta sunt, admirari & suspicere: dementissimum putes, qui suam viro optimo & iustissimo denegat operam. si enim ab optimis viris & sapientissimis, bonæ pendeant literæ, & illos literarum patrocinio iuuari necesse est. Nihil porrò Euangelica religione dignum existimabis, nisi illud à syncero dei timore proficiscatur. Vis dicam? sublato dei timore, & omnia Christianismi propugnacula subruere necesse est.* Sapientia confortauit sapientem super decem principes ciuitatis. Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Sed & cūctis sermonibus qui dicuntur, nec accommodes cor tuum: ne forte audias seruum maledicentem tibi. scit enim conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs. *Eam agnoscis esse vim sapientiæ, vt studiosissimum sui cultorem extollat & cæteris præferat: nec maximis procellarum fluctibus obruto, potest absque sapientiæ tutela, feliciter contingere. Idcirco sapientia confortat sapientem & iustum, quia quamuis aliquis sit iustus, tamen dum in hac carne est constitutus, vitijs est subiectus, & maiore præsidio indiget: & syncerius sapiētia nos consolatur, quàm opes & amici, & omnes mundi principes, quos, vt diuinare possum, comprehendit* Ecclesiastes, *decem viris summa potestate præcellentibus. Quod verò subnectit, Non est iustus in terra qui faciat bonum & non peccet, magnam mihi ingerit admirationem. si enim iustus peccet etiam faciens bonum, quis igitur erit coram deo mundus? quis denique suis audebit confidere operibus? sed existimo* Ecclesiasten *voluisse innuere, neminem præter deum, tametsi probè vixerit, natura esse à peccato immunem, licet plerique fuerint diuina gratia à peccato præseruati. & huic cohæret sententiæ, quod in libris* Regum *dicitur, non est homo qui non peccet. &*

Galat. 6. Ecclesiast. 9. Augustinus Ioan. 16. Nume. 16. 3. Regum 8.

2.Paralip.6. idem 2.Paralipo.6. & in Prouerbijs dicit Salomon: Quis potest dicere, mũdum est cor
Prouerb.20 meũ, purus sum à peccato? Audi & lubenter quæ de hac re dicit Paulus ad Romanos,
Roma.3. non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens deum. omnes declinaue-
Psalm.13. runt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Nec
tamen putes Ecclesiasten in ea fuisse sententia, vt dicere voluerit, iustum quatenus iu
stus est peccare, sed nullus homo tam iustus est, quin possit in vitium corruere, solus deus
natura est ὁ μόνος ἀναμάρτητος. id est, solus sine peccato. Caue igitur ne nimium tuis fi-
das meritis, & bonis operibus, sed primario & potissimum fidito diuinæ misericordiæ.
Nec facile credas hominibus, nec omnium verbis aurem accommoda. vanos stultorum
rumusculos floccipende. & quemadmodum prudẽtis viri est, murmurantem famulum
non audire, nec curiose aurem apponere, quid de se loquatur absente: alioqui semper
torquebitur, & ad mussitationẽ serui, iracũdia commouebitur. sic & sapientis hominis
est, sapiẽtiam præuiam sequi, & vanos non considerare rumores: contemnit & sapiens,
Matth.7. quid de se inuidi susurrones obgarriant, latrent, & loquantur, qui in oculo fratris vi-
dent festucam, in suis verò trabem non prospectant. nec acerbe tuis succenseas famu-
lis, si tibi nonnihil mali imprecati fuerint, cum tua demorsus lingua & conscientia a-
Roma.2. gnoscas te frequenter alijs maledixisse, & conuicia conuicijs retaliasse. In quo enim iu-
dicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas. Cuncta tentaui
in sapientia. dixi, sapiens efficiar, & ipsa longè recessit à me, multo magis
quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam? Lustraui vniuersa ani
mo meo, vt scirem & considerarem, & quærerem sapientiã & rationem,
& vt cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium. Deplorat
quòd tam solicitè, tam denique anxie, fucata humanæ sapientiæ studia perquisierit, sed
quo cupidius peruestigauit, eo minus reperit & consequutus est, & multis ignorantiæ
tenebris circundatus, in profunda & inaudita errorum deliria cecidit. Fatetur in libris
3.Regum.3. & 4. Regum se vltra omnes homines quæsisse sapientiam, & cunctos hoc insigni munere
præcelluisse, nunquam tamen ad tutissimum sapientiæ portum adnauigauit: si tamen
assiduè diuinam inuestigasset sapiẽtiam, in ea conquieuisset, cuius delicijs satiasset ani-
Ecclesiast.6. mum. Dicit enim Ecclesiasticus de cælesti philosophia disserens, Inuestiga illam, & ma-
nifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam, in nouissimis enim inuenies
requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem. Nec sublimem cælestis philosophiæ
profunditatem quis potuit suo ingenio etiam perspicacissimo inuenire: & facilem hu-
Sapien.9. ius rei probationem habemus in sacris scripturis. Sapientiæ 9. scriptum est: Quis enim
hominum poterit scire consilium dei? aut quis poterit cogitare, quid velit deus? & quæ
Esaiæ 40. in cælis sunt quis inuestigabit? & Esaiæ 40. Quis consiliarius eius fuit? Et ad Roma.
Rom.11. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei &c. Facilius esset arenas maris,
aut guttulas pluuiæ dinumerare, aut altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & pro-
fundum abyssi metiri, quàm sapientiam dei plenè inuestigare, & inuestigando intelli-
Ecclesiast.1. gere: & hoc innuere videtur Ecclesiasticus capite primo. Et quod subnectit Ecclesiastes,
ostendit se frustra omnibus neruis & toto marte, omnia in sapientia pertentasse, nec

solum constituerat animo se humanitatis studia peruestigaturum, sed etiam omnium rationes. Voluit & intelligere quódnam esset facinus adeo atrox, adeo crudele, quod vniuersa antecederet vitia, & quæ res obtineret, impietatis, stultitiæ, erroris & vecordiæ principatũ. & dicit tandem se reperisse mulierem malorum omnium sentinã & caput, quod in subsequenti contextu ostendit. Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius. Vincula sunt manus illius: qui placet deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum, vt inuenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni. Solummodo hoc inueni, quòd fecerit deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis vt sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi? *Illecebræ meretricis, fraudes & illectamenta, sunt pedicæ & laquei quibus homo sæpissime irretitur, & vbi primum fornicis blanditiæ inciderunt in animum amatoris, trahunt eũ in præcipitiũ, & eius animam suffocant. Salomon mulierum lenocinijs & astu deceptus, viuis coloribus depingit in suis Prouerbijs, astutias, quibus vtuntur meretrices, Ne intenderis (inquit) fallaciæ mulieris. Fauus enim distillãs labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara, quasi absinthiũ, & lingua eius acuta quasi gladius biceps. Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant. per semitã vitæ non ambulant, vagi sunt gressus eius & inuestigabiles. & alibi, Mandatũ lucerna est, & lex, lux, & via vitæ, increpatio disciplinæ, vt custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. non concupiscat pulchritudinem eius cor tuũ, ne capiaris nutibus illius. precium enim scorti vix est vnius panis. Mulier autem viri preciosam animã capit. Nũquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mũdus cum tetigerit eam. item, Dic sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit. de fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulos, considero vecordem iuuenem, qui transit per plateas iuxta angulum, & prope viam domus illius graditur in obscuro, aduesperascẽte die in noctis tenebris & caligine, & ecce occurrit illi mulier in ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. &c. Hic iuuenis deceptus amplexibus mulieris, quasi bos ducitur ad victimam, & quasi agnus lasciuiens ad vincula trahitur, donec transfigat sagitta iecur eius, velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur. Multos meretrix vulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea. viæ inferi domus eius, penetrãtes interiora mortis. Nos quoq; monet Ecclesiasticus, vt sordidissima scortorum vitia execremur & fugiamus, dicens, Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via, ab omnibus prætereũtibus conculcabitur. Speciem mu-*

Prouerb. 5.
Prouerb. 6.
Prouerb. 7.
Ecclesiast. 9.

lieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Cum aliena muliere non sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, & non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem: quòd si deo, vt inquit Ecclesiastes, placueris, effugies illam & deuitabis. Cupido, visa Bersabee, ad se rapuit Dauid, & occæcauit, cum qua commisit
2.Regũ 11. *adulterium, 2 Regũ 11. Fefellit & Thamar Iudam, quam putabat esse meretricem, Gen*
Gene.38. 1.Corint.11. *nes. 38. nec absurde dixit Paulus, 1 Corinth. 11. Bonum est homini mulierem non tangere. Et cum Salomon summo studio exquisitam omniũ rationem perquireret, quod prætendebat, non est adeptus: virum vnum ex mille, bonum reperit. In Sodoma & Gomor*
Gene.18. *rha non sunt inuenti decem viri iusti, vt lenirent iram dei, Genes. 18. Mulierem verò bonam non inuenit. Verùm ne quis excellens & admirandum dei opus calumniaretur, & verteret ei probro quicquid condidit, dicit deum rerum omnium prouidentissimum, condidisse hominem rectum, & natura bonum, qui libero arbitrio derelictus, potest se ad virtutem aut ad vitium flectere: ad scelus quidem perpetrandũ suo solo conatu, ad virtutem verò capessendam diuino adiutus subsidio. qui tamen ea rerum nouarum cupiditate, & insano furore laborat, vt magis amet se vafris puerilium disputationum quæstiunculis & argutijs inuoluere, quàm in optimis literis consenescere: in quibus solui possunt obscura quæq; & occulta, sed pauci sunt qui exactam & veram inueniũt solu-*
Augustinus. *tionem. Augustinus libro 14. de ciuitate dei, cap. 11. enarrãs hũc locũ, fecit deus hominem rectum, dicit deũ fecisse hominem bonæ volũtatis. non enim rectus esset, bonam non habẽs voluntatẽ, bona igitur volũtas, opus est dei: quum ea quippe ab illo factus est homo.*

ARGVMENTVM OCTAVI CAPITIS.

Multis agnoscimus indicijs sapientiam viri optimi, quam & moderati sermones, & cõposita corporis liniamenta produnt omnibus. qui si quid deo iurauerit, præstat, eiúsque iuramenta obseruat, cui exosa sunt hominum vitia. Iucundissima verò virtutum studia, quibus præcepta dei quàm diligẽtissimè obseruat: nouit & omnia suis temporibus expendere, nec contra impios cito profert sententiam: & quò magis intelligit hominem esse ad malum procliuem, eò facilius condonat veniam, & tolerabilius suffert, nec pẽsitat se esse à peccato immunem. damnat & anxias hominũ curas, qui frustra co nantur exquisitam omnium rationem perquirere. nam quãtò magis in huiusmodi peruestigatione torquent animum, eò minus consequuntur.

CAPVT OCTAVVM.

SApientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius cõmutabit. Ego os regis obseruo, & præcepta iuramenti dei. Ne festines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo: quia omne quod voluerit faciet. & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest, Quare ita facis? Qui custodit

præceptum, non experietur quicquam mali. Tempus & responsioné cor sapientis intelliget. Omni negotio tempus est, & opportunitas, & multa hominis afflictio: quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio. Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque saluabit impietas impium. Omnia hæc consideraui, & dedi cor meum in cunctis operibus quæ fiunt sub sole. interdum dominatur homo homini in malum suum. Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc viuerét, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum. sed & hoc vanitas est. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominũ perpetrant mala. Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui quòd erit bonum timentibus deum qui verentur faciem eius. Non sit bonũ impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant, qui non timet faciem domini. Est & alia vanitas, quæ fit super terram. sunt iusti quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij qui ita securi sunt, quasi iustorũ facta habeant. sed & hoc vanissimum iudico. Laudaui igitur lætitiam, quòd non esset homini bonum sub sole, nisi ꝙ comederet, & biberet, atque gauderet: & hoc solum secũ auferret de labore suo in diebus vitæ suæ quos dedit ei deus sub sole. Et apposui cor meum, vt scirem sapiẽtiam, & intelligerem distentionem quæ versatur in terra. Est homo qui diebus & noctibus somnũ non capit oculis. Et intellexi quòd omnium operũ dei nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub sole, & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniet. etiam si dixerit sapiẽs se nosse, non poterit reperire. Omnia hæc tractaui in corde meo, vt curiose intelligerem.

SApientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit. Ego os regis obseruo, & præcepta iuramenti dei. *Latere nõ potest, quod suapte natura pulchrum est, honestum, & iucundum. Nam si introrsus lateat, & sit imperuium, quibusdam tamen signis à natura inditis innotescit. Idcirco rectè censuit Aristoteles, capite 28. 2. priorũ, naturas cognoscere possibile esse, si quis admiserit, naturales affectus simul corpus & animam transmutare. Vnde Physiognomones, id est, naturarũ coniectores, quibusdam certis notis coniectant quénam sit huic vel illi homini insita pronitas. Et vnum duntaxat proferam physiognomicũ argumentũ huic sententiæ commodissimum, illos cõminiscuntur esse timidos, quibus facies est pernigra, aut peralba: fortes verò, quibus est fusca: boni animi, quibus est flaua: ingeniosos, quibus est rubea: astutos, quibus rufa: iracundos verò, quibus est flãmea. Quod hic dicit Ecclesiastes in superficie corporis & speculo vultus, elucere sapientiam, expressit & in Prouerbijs vbi ait, In facie prudentis lucet sapientia,* Philosophus Prouerb. 17

Hieronym⁹ *& loco illius sentētiæ, Et potentissimus faciem illius cōmutabit, legit* Hieronymus, *& fortis faciem suam cōmutabit. Septuaginta verò interpretes legūt,* καὶ ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται, *id est, & impudēs vultu suo odietur. Vult innuere* Ecclesiastes, *autho-re* Hieronymo, *hāc recipiendo tralationē, & fortis faciem suam cōmutabit, Multi sunt, qui sapientiam repromittunt, difficile tamen inuenitur, qui discernere queat virum sapientem, ab his qui videntur esse sapiētes. Spiritalem sequendo intelligentiam dicemus*
2. Corint. 3. *fortem & potentissimum, faciem suam commutaturum, quando reuelata facie gloriam dei contemplabitur. Et plurimum laudatur sapiens, quòd summa diligentia, dei manda ta obseruat: & quod ab eius ore egreditur, custodit, nec quicquam omittit ex his quæ sibi rex omnium potentissimus facienda præcepit, magna quoq; religione & sacro cultu præcepta iuramenti dei adimplet. Quòd autem iurauerit dominus, testatur propheta,*
Psalm. 109. *dicens,* Iurauit dominus & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Iurauit quidem ad confirmandam suam pollicitationem, & ad multam nostram satisfactionem. Et cum* Abraham *non pepercisset suo filio, sed fecisset quod dominus ei præceperat, iurauit dominus per semetipsum, & ei benedixit, & iureiu*
Gene. 22. *rando firmauit suam pollicitationem, quòd eius semen multiplicaret sicut stellas cæli.*
Hebr. 6. Genesis 22. *Et ad Hebræos dicit* Paulus, Volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri deum, fortissimum solatiū habeamus. *Nec iuramentū de dei verbo sacrum & arcanum, debemus quibuscunq; narrare & proferre in medium, & citam de eo proferre sententiam.* Ne festines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo: quia omne quod voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus: nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis? Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. *Nos commonefacit* Ecclesiastes, *ne latum quidem vnguem discedamus à lege domini, & ab eius imperio. facile recedunt à facie dei, qui suis flagitijs, excidunt à gratia, & suis prostrati affectibus, rectam deserunt semitam, quiq; non faciunt quod facere debent, & faciunt quod non sibi licet facere. quorū misereretur deus, nisi semper cœno & sordibus suarum voluptatum volutarētur, & in improbis turpissimæ vitæ officijs persisterent. & quò magis perseuerāt in turpiloquio, luxuria, auaritia, libidine & inuidia, eò magis accendunt iram dei, & thesaurizant in die iræ & furoris. Deberent agnoscere, eam esse vim di-*
Gene. 1. *uinæ voluntatis, vt quod velit faciat, dixit enim & facta sunt: eā verò esse humanæ naturæ imbecillitatem, vt non quod velit, operetur: deniq; sermonem dei esse plenū & authoritate & summa potestate. Rectè dicebat leprosus, Christi misericordiā & opem*
Matth. 8. *interpellans, Domine si vis, potes me mundare: cui dixit Christus, cum extendisset manum & eum tetigisset, Volo, mundare. Sola vt prospicis, verbo, sola deniq; voluntate, expulit lepram. Et Centurio eam habuit fidem erga Christum, vt firmissimè crediderit*
Ibidem. *solo Christi verbo suum puerum posse sanari, cui dixit, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nec iussis dei ob-*
Esaiæ 45. Hierem. 18. *sistendū est, nec quis obmurmurare debet, cur hoc faciat. Tu quis es, qui respondes deo?*

Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? Satis tibi sit morem gerere deo, & eius mandata obseruare, vt non corruas in vitia, & ne callidissimus hostis te subuertat. Multiplicatum est semen Abrahæ sicut stellæ cæli, & arenæ maris, quia mandatum dei custodiuit. sanctissimè viuit, qui prompto obsequio, mandatis dei obtẽperat. Vnde in Leuitico dicit dominus, Custodite leges meas atq; iudicia, quæ faciẽs homo viuet in eis. Et in Deuteronomio, dicit dominus, Custodi ergo præcepta, & ceremonias, atq; iudicia, quæ ego mando tibi vt facias. Et rursum, Obserua & caue, nequando obliuiscaris domini dei tui, & negligas mãdata eius. Et Christus in euãgelio dixit, cuidam puero sciscitanti quídnam faceret, vt æterna vita frueretur, Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata. suis quoq; discipulis dixit, Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Tempus & responsionem cor sapientis intelligit. Omni negotio tẽpus est, & opportunitas, & multa hominis afflictio: quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio. Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque saluabit impietas impium. *Non fertur sapiens concito spiritu ad excipiendam responsionẽ, sua obit munera opportuno tẽpore. Tempus consulit, vt agat, nec tumultuariè sua peragit negotia, nec imitatur deliros, qui momenta temporũ, & quæ soli deo nota sunt, existimãt se posse intelligere, sed destituti Mercurio, coguntur sistere gradũ. Lusit & Christus quod curiose sciscitabantur apostoli, si in tempore hoc restitueret regnũ Israel, quibus dixit, Nõ est vestrũ nosse tẽpora vel momẽta, quæ pater posuit in sua ipsius potestate. Nec putet homo scire quãdo hinc emigrabit, & eius anima ex hospitiolo corporis egredietur, & pro arbitrio, ac animi sententia se posse prohibere spiritum egredientem. non enim habet potestatem in die mortis, nec possumus accipere inducias, cum interitus, & vitæ nostræ inimicus aduenerit, sed satis erit nos esse instructos & paratos, ad reddendam deo nostræ vitæ rationẽ. Idcirco dixit Christus, Vigilate ergo, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtiq;, & non sineret perfodi domum suam, ideo & vos estote parati: quia nescitis qua hora filius hominis venturus est. Et cum fatuæ virgines precarentur à domino, sibi ostium aperiri, dixit, Nescio vos. Vigilate itaq;, quia nescitis diem neq; horam. Animaduertat homo subortis bellorum tumultibus, & ingruente malorũ procella, nullum quieti locum relictum esse, nec impietatem posse à periculis eripere impium. quis enim quiescere poterit cum videbit prælia, & opiniones præliorũ, & gentẽ consurgere in gentem, & regnum in regnũ, & increscere pestilentias, famem, & terræ motum? nónne hæc sunt initia malorum? sed demus operam, ne angelus satanæ suo astu, suísq; vafrамentis nos seducat.* Omnia hæc cõsideraui, dedi cor meum in cunctis operibus quæ fiunt sub sole, interdum dominatur homo homini in malum suum. *Me tenuit studium & amor visendorum omnium, dedíq; cor meũ, vt quæ sub sole geruntur, intuerer, & hoc vel maximè, quòd homo accepit in homines potestatem, vt absq; iustitia, & excussa sceleris admissi causa, cõdemnet & affligat quos*

Hierem. 18.
Gene. 22.
Leuitici 18.
Deuter. 7.
Deuter. 8.
Matth. 19.
Ioan. 15.
Act. 1.
Matth. 24.
Matth. 25.
Matth. 24.

velit,nec tamen absque indelebili sui nominis nota,& summo dedecore.& tyrãnica hæc dominãdi potestas in suã recidit perniciem,& plerũque permittit deus,vt qui tam seuerè, támque rigidè imperãt,aut à suis iugulentur,aut in manus hostiũ veniãt.Dominatus est
1.Regũ 15. & 31. Saul filijs Israel,sed suo malo,vt ostẽdit historia regũ, etiam & Roboam regũ omniũ im
3.Regũ 12. prudẽtissimus,& Achab rex truculẽtissimus,cui dixit dominus per Heliam,In loco hoc,
3.Regũ 21. in quo linxerũt canes sanguinẽ Naboth,lambẽt quoque sanguinẽ tuũ.Et Ioram filius A-
4.Regũ.9. chab,fuit interfectus à Iehu rege Israel,vt voluit dominus.Nã adhæserat peccatis Hie
4.Regũ 3. roboam,qui peccare fecerat Israel. Vidi impios sepultos,qui etiã cum adhuc viuerẽt,in loco sancto erãt,& laudabantur in ciuitate,quasi iustorũ operũ.Sed & hoc vanitas est.Frequẽter accidit,vt qui simulata religione coluntur ab hominibus,miserè moriãtur,& sui amãtissimos infelici exitu fallãt:at contrà quos mũdus despexit,& sceleratissimos reputauit,feliciter moriũtur.Vidit itaque Ecclesiastes,impios infeliciter mortuos & sepultos,qui tamen cũ viuerent,sancti æstimabãtur,& tanquã firmissima Ecclesiæ columina honorabantur,quos vulgus imperitissimũ,Athlantes pauperũ,imò totius Ecclesiasticæ reipub.propugnacula existimabat esse:qui tamẽ ambulant inani gloriæ vẽto inflati,& laudãtur in suis vitijs.de quibus loquitur Psalmogra
Psalm. 9. phus, Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ,& qui iniqua gerit, benedicitur.& altius serpit hæc pestis,quàm putemus,& oues Christi suo contagio inficit.Nam vix vnus
Hieronym. reperitur,qui audet peccantibus Episcopis cõtradicere.qui cũ acceperint,authore Hieronymo, in Ecclesia potestatẽ, scandalizant eos,quos ad meliora incitare debuerant.Sed quid laruata illorũ sanctimonia vanius?quid denique contẽptibilius?Apertè dicam,quod idem egregius doctor dixit,Nemo audet accusare maiorẽ, & propterea sanctus habetur,qui tamen forsitan colit vẽtrẽ,& porcinã agit vitã.Ex eo difficilis est accusatio in Episcopum,quòd si peccauerit,non creditur,& si cõuictus fuerit,non punitur.Nec sum nescius,diuinam esse Episcoporũ potestatẽ,sed cum improbè viuũt honorum ambitione, & parasitica assentatione occæcati,flaccescit & cõtẽnitur.Huiusmodi homũciones, qui simulato animo & prætextata religione grandẽ aucupãtur pecuniã,mihi videntur esse
Matth. 23. similes scribis & pharisæis hypocritis,qui foris apparebant hominibus iusti,intus autẽ pleni erãt hypocrisi & iniquitate.sunt sanè & similes sepulchris dealbatis.quæ à foris parent hominibus speciosa,intus verò plena sunt ossibus mortuorũ,& omni spurcitia. En cernis impios infeliciter mori,& infelicius plerunque sepeliri: Nec per se laudãda est in sæpeliendis hominibus cura,laudatur tamen propter pium erga mortuos officium: quod & laudauit Christus,cum Maria effudisset vnguentum super caput eius,quod ad
Matth. 26. sepeliendum ipsius.corpus fecerat:Matth.26.Etiam vt procliuiores simus ad fundendas pro sepulto preces:caue tamen ne distrabaris à meliori opere, sepeliendo mortuos. idcirco Christus dixit cuidam discipulo,qui prius volebat sepelire patrem suum,quàm
Matth. 8. sequi dominum:Sequere me,& dimitte mortuos,sepelire mortuos suos.pessimè mortui,
Cicero. potissimum sunt infideles & hæretici. Adferam quæ præclarè & eleganter scripsit Cicero de sepultura,libro primo Tusculanarum quæstionum, cui non possum non adblandiri,quòd non maximopere cõmendet sepulturam,nec etiam damnet,differendo de con

temptione mortis dicit, Cyrenæum Theodorum philosophum non ignobilem nónne miramur? cui cum Lysimachus rex crucem minaretur, istis quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest humíne, an sublimi putrescat. Cuius hoc dicto admoneor, vt aliquid etiam de humatione & sepultura dicendum existimem, rem non difficilem his præsertim cognitis, quæ de nihil sentiendo pauloante dicta sunt: de qua Socrates quidem quid senserit, apparet in eo libro, in quo moritur: de quo iam tam multa diximus. Cum enim de immortalitate animorum disputauisset, & iam moriendi tempus vrgeret, rogatus à Critone, quemadmodum sepeliri vellet, multam verò, inquit, operam amici, frustra consumpsi: Critoni enim nostro non persuasi, me hinc auolaturum, neq; quicquam me relicturum. veruntamen Crito, si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris, vt tibi videbitur, sepelito. Sed mihi crede, nemo me vestrum cum hinc excessero, consequetur. Præclarè id quidem, quòd & amico permiserit, & se ostenderit de hoc toto genere nihil elaborare. durior Diogenes, & id quidem sentiens, sed vt Cynicus asperius, proijci se iussit inhumatum. Tum amici, volucribúsne & feris? Minimè verò, inquit, sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? illi, non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti? Præclarè Anaxogoras, qui cum lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid ei accidisset, afferri, nihil necesse est, inquit: vndiq; enim ad inferos tantundem viæ est. Totáq; de ratione humationis vnum tenendum est, ad corpus illam pertinere, siue occiderit animus, siue viget: in corpore autem perspicuum est, vel extincto animo, vel elapso, nullum residere sensum. hæc ille. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui quòd erit bonum timentibus deum, qui verentur faciem eius. *Homines plerunque in sceleratiora proruunt vitia, & impudentius assuescunt malis, quòd non subito contra illos diuina proferatur sententia, tardiúsq; illorum flagitijs irascatur deus, tarditatem tamen aliquando compensabit supplicium. quòd si iudex æquissimus cito in illos animaduerteret, à perpetrandis facinoribus abstinerent. contemnunt haud dubiè diuitias bonitatis dei,* Roma. 2. *patientiæ & longanimitatis, cũ nulla inauditi sceleris pœnitentia ducuntur, imò quod deplorandum est maximè, nec duci volunt. centies delinquunt, nec semel eos tenet sitis resipiscentiæ: deberent confugere ad vberrimum diuinæ misericordiæ fontem, & ad ipsum Christum, qui non solum paratus est remittere peccatum septies commissum, sed si dici possit infinities. Cum enim Petrus dixisset Christo: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsq; septies? Dixit illi Iesus, non dico tibi vsq; septies,* Matth. 18. *sed vsq; septuagies septies. Etiam dicit dominus omnium patientissimus, per Ezechielem prophetam, Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est,* Ezech. 18. *& custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudiciũ & iustitiam, vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. Nec mireris, si multoties peccet homo, vias enim habet ad malum insitas: nec hoc subticuit dominus,*

Gene.8. *dicens: Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.nec tunc peccator primum peccat, quando videtur facere peccatum, sed iam antè*
Psalm.57. *peccauit,vt quidam dicunt, saltem peccato contracto. Abalienati sunt enim peccatores à vulua, errauerunt à ventre, & locuti sunt falsa. Nihil autem conducibilius erit homini, quàm timere deum, & eius mandata prompto animo obseruare. Bene tibi erit, si*
Ecclesiast.1. *extimescas deum offendere. nec immerito dixit Ecclesiasticus, Timenti dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Et rursum, Timor domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant, qui non timent faciem domini. *Et iustè his malum imprecatur, qui non timent deum, aut si aliquando timuerint, perfricta fronte abiecerunt timorem: & optat ne diu differantur à pœna, sed statim morte subtracti, cruciatus recipiant, quos merentur. Simile est*
Galat.5. *quod dicit Paulus ad Galatas, Vtinam præcidantur, qui vos conturbant. Et alibi, Ale-*
2.Timo.4. *xander ærarius multa mihi mala ostendit, reddat illi dominus secundum opera eius, quem & tu deuita: valde enim restitit verbis nostris. Et qui nec timent deum, nec reformidant in vltrices eius manus incidere, ocyus vmbra declinant, nec multos viuunt*
Ecclesiast.7. *annos, sed moriuntur in tẽpore non suo: vt iam expressit Ecclesiastes de stultis, cap.7.*

Et est alia vanitas quæ fit super terram, Sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. sed & hoc vanissimum iudico. *Nescimus au-*
Augustinus. *thore Augustino, libro 20. de Ciuitate dei, capite 2. quo iudicio dei, bonus ille sit pauper, malus ille sit diues, nisi velimus ad iustum dei iudiciũ referre, quòd mali hic, adipiscuntur bona temporalia, vt qui non sunt assecuturi æterna: boni verò hic, tolerant mala, vt assequantur bona æterna. Quis non censeret eam esse summam vanitatem, vt frequenter eueniant iustis, quæ impijs euenire debuerant? Nonne sufferunt tormenta, quæ debuerant impij pro suis delictis sufferre? Luunt pœnas plerunque, quas tamen non meruerunt. deijciuntur in ignes, torrentur, cæduntur gladijs, & lapidibus obruuntur, etiam citra vllam culpam: impij & iniustissimi, nihil mali tolerant, & tam feliciter in hoc mundo degunt, vt eos putes esse iustissimos. Hoc docet exemplum Euangelicum*
Lucæ 16. *diuitis purpurati, & pauperis Lazari: hic cruciatus in vita sua pertulit, & multa recepit mala: Ille verò pauperum inimicus, multa bona, sensit tamen post mortem, quàm*
Iob.36. *miserum sit, consumere tempus in delicijs, & egenorum curam contemnere. Deus iustus est, qui non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuet. Et licet deus permittat aliquando impios florere & deliciari, acerrimè tamen cum venit hora, in eos animaduer-*
4.Esdre 1. *tit, nec illorum miseretur. Idcirco dicebat filijs Israel, Quoniã me dereliquistis, & ego vos derelinquam. Petentibus vobis à me misericordiam, non miserebor. quando inuocabitis me, ego non exaudiam vos. proijciam vos à facie mea. Ego misi pueros meos prophetas ad vos, quos non acceptos interfecistis, & laniastis corpora eorum, quorum san-*
Psalm.72. *guinem exquiram. Dolet Psalmographus, psal.72. quòd peccatores pacem habeant, iusti verò bellum; Zelaui, inquit, super iniquos, pacem peccatorum videns. Ecce ipsi pec-*

catores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. & dixi, Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. sed mitigat dolorem, dicens, Veruntamen propter dolos posuisti eis, deiecisti eos dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Tenuisti autem manũ dexteram meã, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Nec ab illo quod in Esdra scriptũ est, dissidet quod dicit dominus in Esaia, capite primo de illis, quorum manus sunt plenæ sanguine, Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Dixit quoque dominus Hieremiæ, Noli orare pro populo isto in bonum, cum ieiunauerint, non exaudiam preces eorum. Hiere. 14. Esaiæ 1. Hiere. 14. Laudaui igitur lætitiam, ꝙ non esset homini bonũ sub sole, nisi ꝙ comederet, & biberet, atq; gauderet, & hoc solum secũ auferret de labore suo omnibus diebus vitæ suæ, quos dedit ei deus sub sole. Et apposui cor meũ vt scirem sapientiã, & intelligerẽ dissensionẽ, quę versatur in terra. Est homo qui diebus & noctibus somnũ non capit oculis, & intellexi ꝙ omnium operum dei nullam possit homo inuenire rationẽ eorum quæ fiunt sub sole. Et quanto plus laborauerit ad quærẽdum, tanto minus inueniat. Etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

Artificiosissimo concludit epilogo, stolidissimum esse, & plusquam vanum, velle exactissimas rerum omniũ causas & rationes perquirere, & longè vtilius esse homini, trãsigere vitam quibusdam facetijs, & iucundissimis voluptatum oblectamentis, quàm noctu diúque discruciare mentẽ vanissimis huius mundi studijs. Qui enim curiosè quærit, cur hoc vel illud factum sit, cur mundus vario gubernetur euentu, & plures foueat stultos quàm sapientes, cur deniꝗ alius sit cæcus, alius videns: alius sanus, alius æger: alius diues, alius pauper: nihil aliud proficit, nisi stulta & anili quæstione torqueri: nec tamen ambigit Ecclesiastes, *rerum omnium esse prouidentiam, & causas, quare vnumquodꝗ sic fiat, sed latẽt in occulto, nec possunt ab homine comprehendi.* Nec ex eo di*xit Salomon, quòd non esset bonum homini, nisi quòd comederet & biberet, quòd saperet carnales voluptatis epulas (vt dicit Augustinus libro 17. de Ciuitate dei, cap. 20)* Augustinus. *Nam in 7. capite asseruerat Ecclesiastes, melius esse ire ad domũ luctus, ꝗ̃ ad domũ conuiuij: sed illis verbis adumbrari potest participatio sacræ mensæ, quã Christus summus sacerdos exhibet de corpore & sanguine suo. Aut quia cõferendo voluptatẽ & lætitiã cibi & potus, erumnis hominũ, & potissimũ inquietis auari curis & laboribus, melius est sanè comedere & bibere, quàm anxia congerẽdarum opum solicitudine torqueri.*

ARGVMENTVM NONI CAPITIS.

Delirat ille plurimũ, qui si quidpiam præclare gesserit, non refert deo acceptissimũ, cuius præsidio destitutus, nihil moliri potest, quod dignum sit omnium commendatione. Et magis insanit, cũ existimat tuto sua opera esse deo gratissima, apud quẽ reseruãtur omnia in futurum, & qui nouit mundum hunc, multis subditum esse periculis, &

inuidia, contemptu & malitia, vbique densari: facilius est etiam mundanos, vafris dæmonum captiunculis irretiri, quàm piscem hamo, aut auiculā laqueo. Et licet homo polleat arte & ingenio, quid tamen sibi mors comminetur, ignorat: nec potest asserere se tali die moriturum: eúmque latet, sínam ad cælos subuehetur, aut ad stygiam paludem demergetur. Vnum tamen sibi persuadere debet, sapientiam & fortitudine, & armis bellicis præstantiorem esse.

CAPVT NONVM.

SVnt iusti, atq; sapientes, & opera eorum in manu dei. Et tamen nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta, eo ꝙ vniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verū deierat. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiūt, quia eadem cunctis eueniunt. vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducūtur. Nemo est qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam. Melior est canis viuus leone mortuo. viuentes enim sciunt se esse morituros: mortui vero nihil nouerunt amplius, nec habent vltrà mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum. Amor quoque, & odium, & inuidiæ simul perierunt: nec habent partem in hoc seculo, & in opere quod sub sole geritur. Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia deo placent opera tua. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. Perfruere vita cum vxore quam diligis, cūctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole, omni tempore vanitatis tuæ. hæc est enim pars in vita, & in labore tuo quo laboras sub sole. Quodcunque facere potest manus tua, instāter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapiētia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam: sed tempus casúmque in omnibus. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo superuenerit. Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probaui maximam: ciuitas parua, & pauci in ea viri. Venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, extruxítq; munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inuentúsq; est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam

fortitudine. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita? Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos. Melior est sapientia quàm arma bellica: & qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

OMnia hæc tractaui in corde meo, vt curiose intelligerem, sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu dei. Et tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mũdo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti: sicut bonus, sic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deierat. *Ecclesiastes sua damnat studia in rebus nullius frugis collocata, arguit & suã stultitiam in perquirendis omnium rationibus, intellexit tamen sapientiam hominum & iustitiam & opera, à diuino pendere artificio. nec sapientem quicquam moliri posse absq; diuina virgula, atq; directrice dei manu, cui si nostrum submiserimus arbitrium, nos sanè iuuabit, & eo vtetur, vt ad bonum comparandum instrumẽto, sed tamen animato, nec solum animato, sed rationali, quod ad bonum nititur opus, illo cælesti afflatu adiutum. verum nihil habet in se, quo sua prædicet & extollat opera, cum sit à macula primi parentis contracta, velut pannus menstruatus. turbida est aqua & luto respersa, quæ tametsi suapte natura, nata sit ferri deorsum, nequit tamen, varijs præpedita obstaculis, eò ferri, quo prætendit. Quid igitur tantopere tua extollis merita, labores, industriam & assiduam in rebus agendis diligentiam? Nosti ne pectus domini, an tibi secretissima dei arcana innotescant? Scis ne tuto tua à deo commendari opera? Nunquid ne ex æquo, tuis ieiunijs æterna merces respondebit? Quis porrò negat te multoties coniectũ fuisse in carceres, multa pertulisse incendia, lapidibus obrutum, & mille id genus tormenta tolerasse? An propterea existimas, aut verius iactas te esse dignum amore dei, aut æterno præmio? Si quid bene egeris, totum deo referas acceptum, qui operatur in te & velle, & perficere: si quid malè, tuo solum imputes arbitrio. Fluctuãt* Philipp. 2. *homines ambiguo, vtrum ad probationem sustineant tormenta, an ad supplicium, ignorant, vt dicit* Hieronymus, *in futuro autem scient, cum de hac vita decesserint: quia* Hieronym. *tunc erit iudicium, nunc certamen.* Et *quicunq; aduersa sustinent, vtrum per amorem dei sustineant, vt* Iob: *an per odium, vt plurimi peccatores, nunc habetur incertum. Dicet tamen aliquis,* E*zechias tuto dixit, ne moreretur, tametsi ei dixisset dominus per* E*saiam, Dispone domui tuæ, quia morieris & non viues, Obsecro domine, memento* Esaiæ 38. *quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est, in oculis tuis fecerim: sciebat igitur tuto se nihil admisisse mali, quod deo displiceret, imò sua commendat opera.* Insuper Dauid *dicebat,* Inclinaui *cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Adde quòd* Paulus *absque* Psalm. 118. *vlla hæsitatione dixit,* Bonum *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iustus* 2. Timot. 4. *iudex.* Nónne *quadam certitudine sciebat* Paulus, *se strenuo animo dimicasse in agone*

Matth.19. *Christianorum,& dignũ esse corona? Et Petrus fidenter dixit: Ecce nos reliquimus omnia,& secuti sumus te,quid ergo erit nobis? Ad hæc paucis respõdebimus, nec Esaiam, nec Paulum, nec Petrum agnouisse certo,siue(vt fertur)certitudinaliter, an esset dignus amore dei,bene tamen quadam coniectura:quia cognoscebant illi se non esse iaculis peccati mortalis percussos,nec culpæ mortiferæ conscios:aut si certo nouerint,diuina reuelatione nouerunt. Nec tantum gloriæ sibi vendicauit Ezechias, cum dixit se ambulasse coram domino in veritate, & perfecto corde, vt dona dei sibi attribueret, aut sua extolleret opera, nec deo referret accepta: sed diuino afflatus numine, potuit ad gloriam dei, suam commendare industriam. Et cum optimus Christianus sua commẽdat opera,deum existimat sibi fuisse fauorabilem,vt coram illis quibus prodesse potuit,commendaret. Cum enim sanctissimi viri sua commendarũt opera & merita,non tam sua commendarunt,quàm gratiam dei,à qua effecta sunt,vt commendatione digna viderentur. Et licet nostris bonis operibus confidere possimus, tamen primario figenda est nostræ fiduciæ anchora,in dei misericordia: secũdario nostris confidimus operibus,quatenus sunt subsidiaria vitæ æternæ nanciscendæ adminicula. Et ingeniũ hominis eo stupore, & stupida hebetudine obtunditur, vt non possit certo scire, an hoc sit primum peccatum, in quod incidit, licet de primo scelere quo delinquit, possit iudicare quòd sit peccatum. Omnia, vt dicit Ecclesiastes, seruantur in futurum incerta, quod non difficili suadet inductione. Et iusto & iniusto succedunt diuitiæ,& sapienti & stulto honores,& ex æquo indifferentia omnibus contingere possunt,de quibus hic disserit,quæ nec sunt per se bona nec mala, & quia ex æquo prosperæ rerum fortunæ possunt contingere iustis & iniustis, nec minus aduersa quæq; feriunt diuitem quàm pauperem,idcirco de illis non est ferendum iudicium: quis scit an qui modo bonus est, saluabitur: & qui malus,damnabitur? Et immolanti victimas,& sacrificia contemnenti vnus & idem est euentus & interitus, & peieranti & deieranti: quocirca nec boni debent attolli animo,nec mali deijci: nec ij sciunt an certo incurrerint odium dei,& digni sint æternis supplicijs: nec illi,an gratiã dei sint assequuti. Recte igitur mihi dixis-*

1. Corint.4. *se visus est Paulus, nihil mihi conscius sum,sed non in hoc iustificatus sum.* Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt. Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia,& contemptu in vita sua,& post hæc ad inferos deducentur. Nemo est qui semper viuat,& qui huius rei habeat fiduciam. *Si ex æquo omnia eueniant vniuersis, & nullum sit discrimen inter bonos & malos in reddenda vitæ ratione,& in sufferendis tormentis,nec quisquam sit qui audeat dicere se non moriturum, frustra sapientes huius seculi ad tenebras cum stultis collapsuri,conantur tantopere sua extollere studia, & absq; causa sciolos & ignorantes despiciunt. Attende diligenter, vt aliquando diximus,neminem inferorum carceres euasurum: absq; diuina misericordia, ad quos ante aduentum Christi omnibus patebat aditus. Idcirco rectè dicebat Dauid,Domine eduxisti ab inferno animam meam,saluasti me à descendentibus in lacum. Et alio in loco,*

Psalm.29.

Psalm.48. *Verantamen deus redimet animam meam de manu inferi,cum acceperit me.* Me-

lior est canis viuus, leone mortuo. Viuentes enim sciunt se morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltrà mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum. Amor quoque & odium & inuidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc seculo, & in opere quod sub sole geritur. *Quidam hebræus exponens hunc locum, vt refert* Hieronymus, *dicebat Ecclesiasten velle innuere, vtiliorem esse quamuis indoctum, & eum qui adhuc viuat & doceat, præceptore perfecto qui iam mortuus est: verbi causa, vt canem intelligeret, vnum quemlibet de pluribus præceptorē: & leonem, Moysen aut alium quemlibet prophetarum. Sed hæc expositio non placet* Hieronymo, *sed progrediendo ad sublimiora, dicit Chananæam illam, cui dictum est, fides tua te saluam fecit, siue vt habetur in nostra tralatione: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, esse canem. Nam antequam obtinuisset quod petebat, illi dixit Christus: Non licet accipere panem filiorum, & mittere canibus. Et leonem mortuum, esse populum circuncisionis, sicut Balaam propheta dicit, Ecce populus vt catulus leonis consurget, & vt leo exultans. Canis ergo viuens, nos sumus ex nationibus: leo autem mortuus, Iudæorum est populus à domino derelictus. Et melior est apud dominū iste canis viuens, quàm leo ille mortuus. Nos enim viuentes, cognoscimus patrem, & filium, & spiritum sanctum: illi verò mortui, nihil sciunt, neque expectant aliquam repromissionem, atque mercedem, sed completa est memoria eorum: neque ipsi meminerunt quæ scire debuerant, neque illorum iam dominus recordaturus est. Dilectio quoque qua aliquando deum diligebant, perijt: & odium, de quo audacter loquebantur,* Nónne odiētes te domine odiui, *& super inimicos tuos tabescebam? Nec possunt illi dicere, Pars mea dominus. Sunt qui dicunt, populum gentilem cane viuo significatum, esse meliorem leone mortuo, scilicet populo Iudaico, qui suis operibus, arrogantia, & tumore iactatis, nunquā iustificari potuit. Augustinus in quæstionibus veteris & noui testamenti, quæstione 39. vocat hunc canem, gētilem, & leonem mortuum, apostatam: sicut leo omnibus feris fortior est, ita Christianitas omnibus sectis. Si quis ergo ab hac destiterit, amittit salutem: ita vt deterior gentili sit. potest enim fieri vt credat gentilis, & acquirat salutem, quam perdidit apostata: at si non credat, adhuc peior est apostata: quia deterius est amisisse salutem, quàm non habuisse. Existimo Ecclesiasten hic ludere tropo & metaphora, vt dicat viuentes, ex eo mortuis feliciores, quia possunt, dum hanc agunt vitam, esse defunctis iustiores. Nam indies honestis vitæ officijs mereri possunt, & suam adaugere virtutem & perfectionem, quod non possunt mortui: nec sciūt mortui, nisi per reuelationem, quídnam boni in hoc mundo operemur, & quid cogitemus: & illis præscriptum est certum præmiū, quod essentialiter augeri non potest, nos verò possumus de virtute in virtutem proficere, & adolescere in perfectiora pietatis studia. & quò magis nitimur ad virtutē, & nostram vitæ sanctimonia, religionem illustramus, eò magis toti orbi innotescimus: mortuorum verò gloria tandem euanescit, & obliuione obuoluitur, iuxta illud quod dicit* David, *Obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde. Si tamen procellosas huiusce turbulenti mūdi tempestates, naufragia & innumeras perturbationes, tranquillo feliciter mor-*

Hieronym. | Matth.15. | Nume.23. | Psalm.138. | Psalm.72. | Augustinus. | Psalm.30.

tuorum otio, & quieti contulerimus: melius esset mori quàm viuere. quod etiam Eccle-
Ecclesiast. 7. *siastes prius expressit, dicens: Melior est dies mortis die natiuitatis. Et Paulus non im-*
Philipp. 1. *prudenter dicebat, Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia deo placent opera tua. *Rectè colligit ex præcedentibus, vitam esse morti anteponẽdam, & fruendum esse bonis à deo collatis, cui nostra maximè placent opera, fide & charitate stabilita. Quòd si mortui exciderint ab animo viuentium, & nec dilectionem quis in eos habeat, nec odium, nónne vtilius erit & præstantius frui honesta voluptate, vesci epulis, exhilarare animum, fallere iocis tædia, quàm anxijs curis & emaciata in ambiendis honoribus facie, animam adigere morti, & expetere quod nihil est, nec confert naturæ, imò plurimum aduersatur? Hanc igitur ama vitam, in qua mentem honestis disciplinis & optimis moribus educabis, pasces & fouebis. Deuita tamẽ, & abhorreas porcinam Epicuræorum vitam, ne vnà cum corpore, tua pereat anima. Adhæc, cum morte finiantur omnia, & in inferno non sit pœnitẽtia, nec aliquis ad virtutẽ recursus, dum hic peregrinaris, festina, contende agere pœnitentiam: & dum tua floret ætas, & tibi*
1. Corint. 10 *tempus blanditur, labora. quod commonuit Paulus, dicẽs, Dum tempus habemus operemur bonum, & siue comedamus, siue bibamus, siue quid aliud operemur, omnia in gloriam dei faciamus. Quòd si opera nostra deo placuerint, nequaquam indigebimus ve-*
Prouerb. 4. *ro pane & vino. dicit enim cælestis sapientia, Custodi præcepta mea, & viues. & aliu-*
Prouerb. 9. *bi, Venite, comedite panes meos, & bibite vinum meũ. & Christus omnibus suæ Euã-*
Ioan. 7. *gelicæ philosophiæ sitibundis, dixit, Qui sitit, veniat ad me, & bibat.* Omni tẽpore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. Perfruere vita cum vxore quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole, omni tempore vanitatis tuæ. hæc est enim pars in vita, & in labore tuo quo laboras sub sole. Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. *Pulcherrimus & indumentorum, & corporis candor, præ se fert quandam lætitiam, & plerunque pollicetur quendam animi nitorem & mũditiam: quod visus est nobis indicasse rex ille, qui fecit nuptias filio suo, cui vehementer displicuit: quòd quidam discubuerit in conuiuio*
Matth. 22. *regio, non ornatus veste nuptiali, cui dixit: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris, ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Vetuit etiam Christus, ne qui ieiunant, obscurarent suam faciem luto, & respergerent, vt vi-*
Matth. 6. *tata hypocrisi, nobis apparerent etiam ieiunando hilares & iucundi. Cum, inquit, ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autẽ cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscons o: & pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Et potissimum oleo spiritali, de quo hic disserit Ecclesiastes secundum spiritalem intelligentiam,*

debemus inungere caput nostrum, & nostram mentem. Oleum eam habet naturam nobis commodissimam, vt alat lumen, & fessorum resoluat laborem. Est & oleum salutare & spirituale, oleum quidem exultationis, de quo loquitur David: Propterea vnxit te deus, deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis: hoc oleo exhilarandus est vultus noster: habent & peccatores suum oleum quo inunguntur, & quod iustus detestatur, dicens: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Hoc habent oleum hæretici, & eo cupiũt deceptorum capita perfundere. Deinde monet Ecclesiastes virum, vt vitã agat iucundam cũ sua vxore, quã amat perinde, ac carnẽ suã, de qua dicitur in Prouerbijs, Ama illã & seruabit te, amplexare illã, & circũdabit te. & hæc est viri felicitas, & placidissimus suorũ laborũ fructus, in hac vmbratili vita, iucũdè cũ sua vxore viuere. & totis viribus debemus cõtẽdere, vt nostra industria, nostris deniq; manibus, victũ nobis cõparemus, quod fecit Paulus, ne quodpiã Ecclesiæ gigneret offendiculum, cui cum licuisset de Euãgelio viuere, noluit tamen vti illa potestate, sed tutius putauit quærendã arte propria, vitæ alimoniã. Et eò magis & diligentius debemus in hac vita incumbere labori, quò magis agnoscimus properãtibus ad inferos, non esse relictũ pœnitẽtiæ locũ, nec humana studia illic suã vim habitura. Nec dissentit ab hac sententia, quod præcipit Christus in Euãgelio dicẽs, Operamini dum dies est, veniet nox quãdo nemo poterit operari. Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec velociũ esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientiũ panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus casúmq; in omnibus. *Non semper qui velocius in stadio currunt, optatum sui cursus finem consequuntur. Nec qui in agone christianorum difficillimo ocyssimè cursitant, illustrantur corona. Alij feliciter suum auspicati sunt cursum, ante tempus tamen sibi vendicantes brauium, defecerunt in itinere. Alij tardo & admodum pigro incedunt gressu, quibus infelicia fuerunt suæ cursuræ auspicia, veruntamen plerunq; absq; vlla virium iactantia in opere perseuerãtes, alijs palmam præripiunt. quod planè expressit Paulus, dicens, Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauiũ. Nec qui ferreis compedibus obuinctus est, & grauibus plumbi nexibus prægrauatur, aptus est ad peragendum cursum illum, quem Paulus gloriose absoluit, de quo gloriatur in domino, dicens, Cursum consummaui, fidem seruaui. Denique nec semper fortissimi quiq; & generosissimi milites, victoriam assequuntur, nec proprijs viribus vincunt hostes, quibus cum nimium confidunt, ab inimicis etiam bello inexercitatis expugnantur. Nec tam multis militum copijs obtinemus victoriam, quàm ope diuina. quod sacræ ostẽdunt literæ. Cum enim Machabæi desperarent de victoria, propter numerosissimum exercitum principis Syriæ, dixit eis Iudas, facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu dei cæli, liberare in multis & in paucis. Quoniã non in multitudine exercitus, victoria belli, sed de cælo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci & superbia, vt disperdant nos & vxores nostras & filios nostros, & vt spolient nos: nos verò pugnabimus pro animabus nostris & legibus nostris, & ipse dominus conteret eos ante faciem nostrã. Similiter cum filij Israel timerent incidere in manus Pharaonis, dixit illis Moses, Dominus pugnabit*

[Margin notes: Psalm. 44. — Prouerb. 4. — 1. cor. 4. & 9. 1. Thessal. 2. & 2. Thes. 3. Act. 20. — Ioan. 9. — 1. Corinth. 9 — 2. Timot. 4. — 1. Machab. 3. — Exod. 14.]

1.Regū.17. *pro vobis, & vos tacebitis. dicebat etiam David Sauli, pugnaturus contra Goliam, Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi, ipse me liberabit de manu philistæi huius.* Deinde dicit Ecclesiastes, *eum qui sibi humanam arrogat sapientiam, non posse habere panem, & potissimum cœlestem, nisi per sapientiam diuinam cohortātem, Venite, comedite panes meos. & licet sapiētes huius seculi aliquando fruātur pane, non tamen tuto, nec plerunque absque mœrore & tristitia: nec semper eis suppetunt vitæ necessaria. Nec docti perituris vtuntur diuitijs ex animi sententia: potius abundant opibus indocti quàm docti, & fortuna magis adblanditur ijs, qui nullo labore, nullis denique studijs rempublicam literariam iuuerunt, quàm illis qui totam animi industriam, contulerunt illustrandis literis, nec vnquā labori, diligentiæ & studijs pepercerunt, vt inuentis aliorum, nonnihil adderent: nec tamen diuites censentur, nisi mundas animi diuitias in Christo collocent, & in bonis operibus.* Docet & *quæ nūc diximus, beatus Pau-*
1.Tim.6. *lus ad* Timotheum, *dicens, Diuitibus huius seculi præcipe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus. Nec possunt viri docti & prudentes sibi comparare diuitias, nisi acceperint à domino, cuius sunt veræ diuitiæ. Et de ex-*
Prouerb.13. *pressissima diuitis ratione, loquitur Salomon in Prouerbijs, dicens, Est quasi diues cum nihil habeat, & est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit. Redēptio animæ viri, diuitiæ suæ, qui autem pauper est, increpationē non sustinet.* Quod autem dicit Ecclesiastes *de artificum gratia, ostendit artifices etiam solertissimos, non habere gratiam permanentem, sed casuram, quæ si syncero affectui & prudentiæ iuncta non fuerit, non est dicenda gratia, Nec à nobis profecta est, sed à deo, cui innitendum est, & cuius præ-*
1.Corint.15. *sidio bene operamur.* quod Paulus *sciens dicit, Plus omnibus illis laboraui, non autem ego, sed gratia dei quæ mecum est. & iterum, Gratia autem dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua nō fuit.* In *vniuersum colligit Ecclesiastes omittendo* ἀνωγωγὴν, *neminem etiam ex nomenclatura felicium, habere quicquid optat, nec carere perturbationibus. & quia feruntur omnia incerto & statu & euentu, nō debemus figere anchoram nostræ spei in his, quæ cito fluunt & euanescunt.* Nescit homo finē suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superuenerit. Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probaui maximam. Ciuitas parua, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, extruxítque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inuentúsque est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suā, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. *Quandiu ignorat homo finem suæ vitæ, & qua hora hinc demigrabit, tandiu angitur curis, iactatur naufragijs, & torquetur molestijs, & aduenit citius quàm putabat tempus iudicij, tempus quidem luctus & vlulatus, & citius irretitur pedicis pallidæ mortis, quàm piscis hamo, aut auis laqueo, Interpellabit resipiscentiam, quando aduenerit dies illa horrenda, nec tamen exaudietur, dicetúrque illi, quando tibi licuit bene operari, neglexisti, &*

mea spreuisti mandata: tunc secernentur boni à malis. Nam quemadmodum *in sagena in mare demissa, concluduntur pisces & boni & mali: eligūtur deinde boni, & mali, ac noxij deijciuntur foras. Ita in consummatione seculi, angeli separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Matth.13.
Nec ab hac deflectit sentētia, quod dicit Ecclesiasticus, *Fili si habes, bene fac tecum, & deo dignas oblationes offer. Memor esto quoniam mors non tardat, & testamētum inferorum, quia demonstratum est tibi: testamentum enim huius mundi morte morietur. Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi.* Et rursus, *Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum. Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur ibit cum illo. Et omne opus electum iustificabitur, & qui operatur illud, honorabitur in illo.* Hunc ecclesiastæ locū, attigit Augustinus libro vno de agone christiano, capite 7. dicēs, *Gaudet piscis quando hamum non videns, escā deuorat: sed cum piscator eum adducere cæperit, viscera eius torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur, sic sunt omnes qui de bonis temporalibus beatos se esse putant. hamum enim acceperunt, & cum illo sibi vagantur: veniet tēpus vt sentiant quanta tormēta cum auiditate deuorauerint.* Laudat deinde Ecclesiastes *sapientiam viri pauperis & prudentis, qui sua prudentissima sapiētia, & consilio liberauit ciuitatē paruam, in qua paucissimi erāt viri, à fortissima & munitissima obsidione regis potentissimi: ea tamen ciues ingratitudine, eáque execranda ingrati animi nota, iusti sunt, vt liberata ab hostibus ciuitate, ne quidem vnus beneficij hostimentū & gratiam pensauerit, nec memor fuerit illius pauperis sapientissimi. Hæc certè diuina sapientia populum iustum, & semen sine querela liberauit à nationibus, quæ illum opprimebant: iurauit in animam serui dei, & stetit contra reges horrendos in portentis & signis. Q uidam dicunt hanc paruam ciuitatem esse hominem, qui secundum philosophos dicitur microcosmus, id est, minor mundus. hanc autem ciuitatem, rex magnus scilicet diabolus, suis insidijs & munimentis concussit & obsedit, cuius tamen minacissimam obsidionem soluit homo interior, sapiens & circumspectus, nec tamen eius benignitatem & summa beneficia agnouit homo exterior omnium ingratissimus. Aut hæc parua ciuitas, cōparatione totius mundi, est* Ecclesia: *quæ subdolis cacodæmonum suggestionibus obsessa, euasit gratia Christi (qui pro nobis factus est pauper) pericula obsidionis. Et cum hic pauper vicerit, & virtutem ac potentiam diaboli imminuerit, vix vnus reperitur, qui ei agit pro tantis beneficijs gratias. Christus in Euāgelio Lucæ, nouem leprosorum ingratitudinem obiurgat, & ostendit quantum sibi ingrati animi vitium displicuerit. cum enim decem viros à lepra mundasset, non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam deo, nisi vnus Samaritanus.* Et dicebam ego meliorem esse sapientiā fortitudine. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita? Verba sapiētium audiuntur in silentio, plusquam clamor principis inter stultos. Melior est sapientia q̄ arma bellica: & qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Nō *absurde col-*

Ecclesia.14. — Augustinus. — Sapien.10. — Lucæ 17.

*ligit, sapientiã esse humana fortitudine præstantiorẽ: diruit enim & subuertit castra,
quæ nullis hominũ viribus subuerti possunt, soluit obsidionẽ, quam robustissima homi-
num fortitudo soluere non potest, &, lõge diutius durat, ꝗ potentia principum, sine qua
nihil commendatione dignum geri potest. Et simile est huic sententiæ, quod comperi-
Sapient.6. mus in opusculo Sapientiæ, Melior est sapientia quàm vires, & vir prudens ꝗ fortis.
Quòd si sapientia præferatur fortitudini, & armis bellicis, cur igitur non extollimus
& admiramur sapientiam pauperis? cur deniq; ab eo non discimus, quid sit agendum,
quid verò fugiendum? cur toties sapientiam pauperũ pannosam & neglectam insecta-
mur, & quem ditat, furca plectimus? Melius esset incolere casulam pauperis sapiẽtis, ꝗ
magnifica diuitũ palatia, cuius verba, non nisi silentio excipiũtur, & in quieto loco au
diuntur: nec plausus hominum, lenocinia, & verborum fucos quærit. Fugit & spectacu
la hominum, nec in theatris suam profitetur disciplinam, nec amat quæ sua sunt, sed
quæ diuinam religionem exornãt. Et eius modestia & veneranda maiestas, magis mere
tur audiri, quàm clamor principis, inter stolidos & insipientes, qui nõ tam virtuti prin
cipis applaudũt, quàm diuitijs. Nec desinas velim versare animo, quãtum tibi prodesse
potest sapientia, & quantam sis facturus iacturam, si eius patrocinio destituaris. faci-
le corrues in sentinam vitiorum, facile Diabolo succumbes, & facilius occæcaberis. nec
solùm mortiferæ noxæ macula, tibi vnam adimet virtutem. sed omnes: & quæ aliquan
do præclarè gessisti, lethargo soporata, veterascent, & obliterabuntur. Hoc habent vir-
tutes vinculum, hoc denique nexu vinciuntur, vt qui vnam habuerit perfectè, & om-
Iacobi 2. nes habere necesse est: & qui in vno offenderit, factus est omnium reus, quantum ad
transgressionem legis. qui enim non mœchatur, sed occidit, dei legem transgreditur.*

ARGVMENTVM DECIMI CAPITIS.

Præfert Ecclesiastes sapientiam cumulatissimis diuitiarum thesauris, quam immortali gloria dignam esse existimat, à cuius vestigijs longè abscedunt stolidissimi, qui ad visendum suæ stultitiæ spectaculum, transeuntium oculos pelliciunt: & longè plures, quàm qui veram profitentur sapientiam, à quà noxij affectuum morbi curantur: nec ab ea instituti, primas honorum partes ambiunt, nec vt stulti, desiderant in eminentiore loco sedere, præcauent summopere à viperinis serpentum morsibus. parcè sed modestè loquuntur, nec more loquacissimorum, balbutiũt & obstrepunt, aut in vrbe imperant, aut eos qui principantur alijs, philosophari docẽt, nullis capiuntur donis, nulli deniq; conuiciantur, nec quenquam maledica lingua vulnerant, sed omnibus se præstant mansuetos.

CAPVT DECIMVM.

MVscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Pretiosior est auro sapiẽtia, & gloria: parua, ad tẽpus stultitia. Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius. Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. Si spiritus potestatem haben

tis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris: quia curatio faciet ceſſare peccata maxima. Eſt malum, quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediẽs à facie principis: poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum. Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos. Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber. Qui tranſfert lapides, affligetur in eis: & qui ſcindit ligna, vulnerabitur ab eis. Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia. Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Verba oris ſapientis gratia: & labia inſipientis præcipitabunt eum. Initium verborum eius ſtultitia, & nouiſſimum oris illius error peſſimus. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante ſe fuerit: & quid poſt ſe futurum ſit, quis ei poterit indicare? Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere. Væ tibi terra, cuius rex puer eſt, & cuius principes mane comedũt. Beata terra, cuius rex nobilis eſt, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam. In pigritijs humiliabitur cõtignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus. In riſu faciũt panem & vinum, vt epulentur bibentes. Et pecuniæ obediunt omnia. In cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui non maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas, annuntiabunt ſentẽtiam.

MVſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti, precioſior eſt auro ſapientia, paruáq; gloria ad tempus ſtultitia. Cor ſapiẽtis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius. ſed & in via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat. *Nos commonefacit Eccleſiaſtes in exordio huius capitis, vt ſtultorum & improborũ hominum commercia, familiarem conſuetudinem & colloquia deuitemus, qui nihil præter immunditiam, & fœtidum vitiorum odorem ſpirant, nihilq; ab eorum lingua dimanat, quod non ſit peſtilentiſſimum. Exprimit Auguſtinus libro vno contra Fulgentium Donatiſtam, articulo 14. naturam muſcarũ morientium, & quid hoc ſibi vult, Muſcæ moriturae exterminant confectionem ſuauitatis. Muſcæ moriturae Donatiſtæ circunuolant per totius corporis membra, ſicubi reperiant vulnerata. ſana pungunt, ægra lambunt, & eorum vlceribus peccatorum vermes fundunt, quæ conſcientiam mordeant, quæ animam finiant, quæ putredinem nutriant, quæ nec ipſis mortuis cadaueribus parcant. Muſcæ moriturae cum oleum exterminant, oleo perimuntur: neq; enim viuitis, qui ſpiritũ ſanctum efflatis. Hæc ille. Et quemadmodũ muſcæ, quibus nihil eſt indocilius, cum moriuntur, perdunt ſuauitatem vnguenti, odorem & ſaporem: ita boni malis permixti, fragrantiſſimum ſuarum virtutum odorem perdũt, & ſubornati contaminantur. Quapropter Paulus prudenter monuit Corinthios, ne commiſcerentur fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus: alioqui debuerant de hoc mundo exiſſe.*

Auguſtinus.

1. Corint. 5.

nec vult vt cũ illis sumant cibum, nec minus sceleratos homines fugere debemus, quàm
1.Corint.15. pestem. Corrumpunt enim bonos mores, colloquia praua. dicit etiam Salomon Prouer-
Prouerb.4. biorum 4. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea, nec transeas per illam, declina & desere eam. Et sola nos docet sapientia, omni auro & argento preciosior, vt nihil habeamus commercij cum malis & stultis, quorum gloria citius arescit quàm fœnum, & vix vno temporis momẽto durare potest, nec quicquam moliuntur, quod non sit sinistrum. & cùm in sua ambulant stultitia, suo ingenio iudicant omnes esse deliros, & suis inniti vestigijs. Nec mirum est. nam pulcherrimus est stulti cum stulto congressus, at gloria sapientum est perpetua, nec quicquam agunt, quod
Matth.6. non sit dextrum, & cum faciunt eleemosynam, nescit sinistra quídnam agat dextera:
Matth.5. & cum percutiuntur in dexteram maxillam, præbent & percussori alteram. & cum ve-
Matth.25. nerit saluator ad iudicãdum, illos separabit à malis, & statuet oues à dextris suis, hæ-
Prouerb.4. dos autem à sinistris. Et in Prouerbijs dicit Salomon: Ne declines ad dexteram, neq; ad sinistram. vias enim, quæ sunt à dextris, nouit dominus: peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Illi (vt arbitror) declinant ad dexteram, qui volunt inani gloria ducti, plus sapere quàm oportet: illi verò ad sinistram, qui rectam virtutum semitam negligentes, sectantur errorum & vitiorum diuerticula. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima. Demus operam, ne diabolus aduersarius noster, & hostis infestissimus, inueniat in nobis fenestram, qua subingrediatur clanculum nostræ mentis domunculam: toto deniq; contendamus studio, ne, quod in nobis est optimum, inuadat. quòd si & orationibus & ieiunijs, munitissimam eius aciẽ perfregerimus, discedet à nobis. stemus fortes aduersus insidias maligni spiritus, & summopere præcaueamus, ne illi cedamus locum: quod si fecerimus, ne quidem vllum nos cõtinget peccatum. Idcirco
1.Petr.5. dicit Petrus in prima Epistola canonica, Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. Et Paulus nos monet ad Ephesios, vt accipiamus armaturam dei, vt possimus
Ephe.6. resistere diabolo. Induite, inquit, vos armaturã dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum harũ, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. quòd si diabolus nobis nõ dominetur, euademus illæsi & im-
Psalm.18. maculati. dicit enim Dauid, Si mei nõ fuerint dominati, tũc immaculatus ero, & emũdabor à delicto maximo. Et si titillauerit mentem nostram diabolus, & ad libidinem concitauerit, laboremus ne subreptitios impulsus, & pessimam cogitationem sequamur. Et licet diabolus conscenderit vsque ad interna nostræ mentis præcordia, possumus tamen præpedire, ne inficiat quod contigit. & Iudas poterat non cedere locum diabolo,
Ioannis.13. cum in eius cor immiserat cogitationem, vt suum proderet dominum, Ioannis 13. Est malum quod vidi sub sole quasi per errorem egrediẽs à facie principis, Positũ stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos. Intolera-

bile est malum & inauditum, quod videtur incuriam & negligentiam principum insimulare, pati stultos, ignobiles & pauperes in loco omnium eminentissimo sedere: & honoratiores locorum sedes, dignioribus & nobilioribus præripere. Quid porro indignius & absurdius, quàm intueri Archadicum pecus, & asininam belluam in Ecclesia principatum obtinere, & doctissimis viris præfici? Verùm vbicunque locorum sederit simia, semper sibi erit simia. Et Mydas etiam primos habēs in cœnis accubitus, suas personabit clitellas. Sed bene conueniunt crassa crassis. nec debent dolere sapientes & docti, si in hoc seculo deijciātur, & loco mulionum sedeant. Nam in futuro seculo honorificè sedebunt cum beatis, vbi stulti & arrogantes nullum sunt habituri locum. Pollicitus est Christus suis discipulis, qui fuerunt mundo spectaculū ludibrij & contemptus, vt sederent aliquando super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Matth. 19. Matth. 19.

Qui fodit foueam incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. qui transfert lapides, affligetur in eis, & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. *Plerunque euenit vt qui effodit scrobem, siue foueam, in eam decidat: & qui alijs parauit laqueos & decipulas, ab eisdem inuoluatur. Et faber aliquando quas fecit compedes, gestat. & huic sententiæ cohærent quæ scribit Salomon in Prouerbijs, dicens, Qui fodit foueā, incidet in eam, & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Prouerb. 26. *Et fusius multo hæc expressit Ecclesiasticus, Qui foueā fodit, incidet in eam:* Ecclesia. 27. *& qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo, facienti nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet, vnde adueniat illi. Idem quoque dicit Psalmographus, Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit.* Psalm. 7. *Sepis autem & maceriæ euulsio, secundum spiritalem intelligentiam, sunt ecclesiastica dogmata, & instituta ab Apostolis & prophetis fundata, quæ si quis dissoluerit, & præterire voluerit, à serpente percutietur, de quo scriptū est Amos 9. Si descenderint in infernum, mandabo serpenti, & mordebit eos, siue, vt habet nostra tralatio, Et si celauerint se ab oculis meis in profundum maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. Ad historiam dico, eum esse dignum morsu serpentis, qui dedita opera dissipat sepem, sub qua latebat coluber. Et si hæretici viuos ecclesiæ lapides de structissimo Christi ædificio abstulerint, dilacerabuntur ab eis, & sufferent tormēta: & qui absciderit ligna, periclitabitur ab eis. Ligna infructuosa, sunt hæretici, qui digni sunt incēdio. In vniuersum innuit Ecclesiastes, neminem debere alteri præbere ansam mali, ne vitium ab altero commissum, in caput eius recidat.* Amos 9. Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur. & post industriam sequetur sapientia. *Retusum habent ferrum, qui acumine ingenij carentes, imbecilla admodū disputatione congrediuntur cum illis, qui pollent & ingenio & literis. Si tamen duro & inuicto labore hebetatam mentem iuuerint, ingeniosos desidia torpentes superabūt. Euenit enim plerunque, vt qui nonnihil sapientiæ in sacro musarū fonte ebiberunt, elati in superbiā, desinant discere, & sic ferrum, quod erat acutū hebetatur. Otium enim & pigritia est rubigo sapiētiæ. Ager suapte natura feracissimus, nisi excolatur, squalet vepribus & spinis obsitus. Nec desinūt*

betho aere crassiores, & qui ingenium habent pistillo retusius, si modo laborent, peruenire ad frugem. Ad quam indefessis vigilijs peruenit Cleanthes philosophus, quo nihil stupidius & magis indocile. Nunquã enim nec de ingenio, nec de literis desperandũ est.

Si mordeat serpens in silenrio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit. Verba oris sapiẽtis gratia, & labia insipiẽtis præcipitabunt eum. Inirium verborum eius stultiria, & nouissimum oris illius, error pessimus. Stultus verba mulriplicar. *Nemo nescit pestilentissimum esse serpentis morsum, longè tamen pestilentior est contumacissimi detractoris lingua, qua nihil est exitialius, nihil nocentius, nihil denique pernitiosius. Lingua minutulum est membrum ac molliculum, plurimum tamen habet malorum: quam si animus integer non refrenauerit & cohibuerit, magis nocebit quàm aspis, cuius venenum est penè immedicabile: non enim impetit aspis aspidem, nec scorpius ferit scorpium, nec vipera suum virus in viperam diffundit: solus autem homo sua nocentissima lingua, in hominem, venenum habet. Insectatur Salomon multis in locis Prouerbiorum, linguam garrulam, mendacem*

Prouerb.6. *& obtrectatricem. Et inter sex vitiorum mõstra, quæ detestatur deus, collocat linguam*

Prouerb.12. *mendacem. Et aliubi: Verba impiorum insidiantur sanguini. &, Abominatio est domino*

Prouerb.15. *labia mẽdacia. atq; iterum, Lingua placabilis, lignum vitæ, quæ autẽ immoderata est,*

Prouerb.17. *conteret spiritũ. adhæc, Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labijs men-*

Ecclesia.14. *dacibus. Dicit etiam Ecclesiasticus de moderando linguæ plectro, Beatus vir qui non est*

Ecclesia.20. *lapsus verbo ex ore suo. item, Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pauimento cadens, sic*

Ecclesia.21. *casus malorum festinanter venient. iterum, Labia imprudentum stulta narrabũt, ver-*

Ecclesia.25. *ba autem prudentum statera ponderabuntur. atq; iterum, Beatus qui habitat cum muliere sensata, & qui lingua sua non est lapsus. Et beatus Iacobus eum existimat perfe-*

Iacobi 3. *ctum, qui in verbo non offendit: & linguam putat esse ignem ardentissimum, & vniuersitatem iniquitatis, quæ in membris nostris constituta, maculat totum corpus, quam nullus vnquam hominum domare potuit, nisi diuino adiutus præsidio: & licet homo do-*

Rom.1. *met feras, non tamen suã linguã, sed deus in homine. Paulus acerbe reprehendit susur-*

Ro.3. Psal.5 & 139. & 9. *rones, & detractores: & ex Psalmographo dicit, Sepulchrũ patens est guttur eorũ, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labijs eorum: quorum os maledictione,*

1.Corint.6. *& amaritudine plenum est. Et ad Corinthios dicit, maledicos regnum dei non possessuros. Interim omitto quot locis insectetur ματαιολογίαν, & quanta seueritate cohibeat linguæ muliebris intemperantiam, sed redeo ad explicandam Ecclesiastæ sententiam. Serpentem confert detractori. Nam quemadmodum ille, occultè mordens venenum inserit, sic iste clam detrahẽs, virus pectoris sui infundit in fratrem: at sapiens ab immedicabili linguæ veneno sibi præcauet, cuius verba placent omnibus, & miram in se conti-*

Prouerb.12. *nent gratiam. Et lingua sapientum, est sanitas, vt scribit Salomon in Prouerbijs, &*

Prouerb.15. *etiam ornat scientiam: os autem fatuorum ebullit stultitiam, & stolidissimum leuissima garrulitate, & incontinentia arcani diffluentem, in multa scelera præcipitat: cuius sermo velut cancer serpit, & anserinum strepitum refert, nec potest procaci Battologia non incidere in omnium odium, maleuolentiam & indignationem, & vbi primum*

incipit loqui, suam prodit stultitiam etiam infantissimam: & cum desinit loqui, nec tamen sine difficultate, sua omnibus euentilat errata. Ignorat homo quid ante se fuerit, & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare? Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere. *Homo tam imbecilli est ingenij, vt solum quod præsens est, perfectè intueri potest, nec præterita sua mēte versata, comprehendit: nec capit integrè futura, imò multo minus, q̄ præterita. Ob hunc stuporem, & tantillam rerum cognitionē, debet longè à se superbiam pellere, & tumorem animi deijcere, & quò magis contendit res abditissimas animo consequi, eò magis insano & vano labore affligitur. Curiosa rerū humanarum cognitio vehementer torsit Platonem, Aristotelem, Zenonem, Carneadem, & reliquos philosophos ethnicæ philosophiæ studiosissimos: sed quid vanius illorum labore, industria, & conatibus? cum nunquam peruenerint ad veritatis cognitionem. Et cum putarent humano captu se comprehendere sapientiam, nunquam tamen ad cælestem beatorum ciuitatem conscenderunt: de qua dicit* David, *Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Et huiusce ciuitatis admirandæ meminit Christus in Euangelio, dicens: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Nec ad hanc ciuitatem perueniunt hæretici, qui sacras literas deprauando, viuos Ecclesiæ lapides, de suo loco dimouere contendunt, ac Ecclesiæ sancita subuertere.* Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam. *Existimat Augustinus libro 17. de ciuitate dei, capite 20. hāc sententiam pertinere ad duas ciuitates, vnam diaboli, alteram Christi: & earum reges, diabolum, & Christum: adolescentem dixit diabolum, propter stultitiam & superbiam, & temeritatem & petulantiam, cæteráq; vitia, quæ huic ætati assolent abundare: Christum autem filium ingenuorum, sanctorum Patriarcharum pertinentium ad liberam ciuitatem, ex quibus est in carne progenitus. Principes illius ciuitatis mane manducantes, id est, ante horam congruam, quia non expectant opportunam, quæ vera est in futuro seculo, felicitatem, festinanter beari huius seculi celebritate cupiunt. Principes autem ciuitatis Christi, tempus non fallacis beatitudinis patienter expectant: hoc agit in fortitudine, & non in confusione, quia non eos fallit spes, de qua dicit Apostolus, spes autem non confundit. Dicit & psalmus: Etenim vniuersi qui te expectant non confundentur. hæc ille. Sed tractemus historiam, quæ non dissidet à prophetia Esaiæ vaticinantis de summa miseria & calamitate Iudæorum, vbi dicit dominus exercituum: Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis, Esaiæ 3. Reprobat Ecclesiastes iuuenum principatum, qui ante tempus summopere cupiunt regium obtinere sceptrum, ac regio diademate insigniri, vt orbi imperent, & libidine dominandi, summam apud homines sibi comparent gloriam, quibus nec ætas est matura, nec armis parata, nec consilio instructa. Insectatur & principes, lasciuiæ & delicijs deditos, qui antequam surgant à lecto & expergiscantur, de cibis cogitant, & ventre farciendo: quorum vires, & venere, & baccho solutæ, dum instat tempus pugnandi, facile agnoscuntur ab his, qui duro la-*

Psalm. 72. Matth. 5. Augustinus. Rom. 5. Esaiæ. 3.

bore, frugali cibo, ac continentia sub dio sua corpora exercuerant, & quorum gloria, nulla vnquã voluptate, nullis deniq; delicijs eneruari potuit. Econtrario maximopere commendat regem nobilissimum, optimis moribus & honestis disciplinis à puero recte institutum, qui in laudatissima philosophorum schola didicit quid honestum, quid turpe, quid prosequendum, quid deniq; fugiendum, quánam deniq; animi virtute, suis posset imperare subditis: quem nec desidia vicit, nec arrogantia excæcauit, nec mollitudo eneruauit, sed abdicatis à se voluptatibus, nouit prompta animi dexteritate, in suis castris nocturnas agere excubias, suorum deniq; animos accendere ad propulsandos hostes, nec quicquam magis vnquam desiderauit, quàm omnium gratiam & beneuolẽtiam sibi conciliare, & omnibus se præstare humanissimũ, nec quod in illustrissimo rege maximè expetendum est, suum populum durissimis exactionibus vexare. In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. In risu faciunt panem & vinum, vt epulentur bibentes. Et pecuniæ obediunt omnia. In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui non maledixeris diuiti. quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas annuntiabunt sententiam. *Pigritia extructissimas ædes demolitur, & ignauia hominis, magnifica pereunt ædificia: nihil porrò tam egregiè factum est, eáq; adparatum industria, quod non inertia possidentis collabascat & subuertatur. Dicit Hieronymus ad hunc locum edisserendum:* Domus nostra, *quæ cum statu hominis erecta est, & habitatio quam habemus in cælis, si pigri sumus, & ad bona opera tardiores, humiliabitur. Et omnis cõtignatio, quæ debet culmen portare in sublime, ad terram corruens, habitatorem suum opprimit. Cúmque auxilium manuum, virtutúmq; torpuerit, omnes desuper tempestates & nimborum ad nos turbo prorumpit. hæc ille. Et quia pigri nullis torquentur curis, nec futura præuident, idcirco lætius multo, & iucundius viuunt, & in hilaritate animi fruuntur pane & vino: diuturnius tamen & felicius, cum bonis externis abundant, nihilq; non intentant robustissimis pecuniæ neruis oppidoquam muniti. Ea nos tenet auida illa pecuniæ congerendæ sitis, vt visis nummis, aut tutissimis pecuniæ recipiendæ pollicitis, diligentius accingamur operi, & magis strenuam nostro artificio nauamus operam. Etenim odor quæstus ex re qualibet, omnibus est gratissimus. Quem tam quadratum, támq; constantem reperies, qui non alliciatur donis, aut non seruiat pecuniæ? Cõtendunt penè omnes huic deæ & reginæ adblandiri, & suum præstare obsequium: huic seruiunt rhetores, poetæ, philosophi, patroni, & id genus hominum. Quod non subticuit* Esaias, *dicens:* Omnes diligunt *munera, sequuntur retributiones. Et à minore vsque ad maiorem, omnes auaritiæ student. Hieremiæ 6. Monet deinde Ecclesiastes, ne detrahas regi, cuius maiestatem suspicere debes, nec importuna lingua maledicas diuiti, qui non mediocre tibi potest adiumentum præstare. Dilige proximum ex præcepto Christi, sicut teipsum. Et angeli, qui terram circumeunt instar auium, nostra verba & cogitationes ad cælum perferunt, nec deum latet quod clam cogitamus.*

Hieronym⁹ — Esaie. 1. — Hierem. 6.

ARGVMENTVM VNDECIMI CAPITIS.

Quantum nobis prodesse possit promptissima erga pauperes largitio, quantum denique commodi adferat eleemosyna reipublicæ, exprimit Ecclesiastes, qua multo facilius amplissimæ liberalium fortunæ augentur, quàm industria & assiduo labore. Nec quicquam præmij assequemur, quod non meruerint quouismodo nostri conatus: nec supplicium irrogabitur, quod non culpa commeruerit. Et hoc vnum sciant homines, aut sibi absoluto vitæ curriculo, optatissimum æternæ lucis locum destinari, aut densissimos tenebrarũ carceres. Nec ab opere idcirco desistendum erit, ꝙ nobis cælum comminetur imbres, aut perflent venti etiam typhonij. Nam nobis incertum est quidnam Deus rerum omnium prouidentissimus, de futuris disposuerit. Satis sit hominibus hac aura pertenui viuere, & splendidissimo solis lumine oblectari.

CAPVT VNDECIMVM.

MItte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa inuenies illum. Da partes septem, nec non & octo: quia ignotas quid futurum sit mali super terram. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terrã effundent. Si ceciderit lignum ad austrũ aut ad aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit. Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet. Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, & quã ratione compingantur ossa in vẽtre prægnantis: sic nescis opera dei, qui fabricator est omnium. Mane semina semen tem tuam, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc an illud: & si vtrunque simul, melius erit. Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierũ multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito, quòd pro omnibus his adducet te deus in iudicium. Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adolescentia enim & voluptas, vana sunt.

MItte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum. Da partes septem, necnon & octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. *Nos cohortatur Ecclesiastes ad exercẽda pietatis officia, & ad impartiendũ pauperibus, quod abundè nobis suppetit. Nec sinamus famelicos, debiles, claudos & indigẽtes perire fame. Semper sint aperta egenis horrea, nec ea nos capiat inhumanitas, vt nostram languidis denegemus operam. Succurramus & transfretanti aquas, & magno cum labore oceanũ adnauigãti. Nam quod*

in pauperis subsidium contulimus, fœnerabimur, & promptam deus nostri animi voluntatem, ac promptissimũ erga pauperes obsequium compensabit. Tantum habet eleemosyna momẽti, vt ea redimi possint & purgari peccata. Idcirco Daniel cõsuluit Nabuchodonosor, vt sua peccata eleemosynis redimeret, & iniquitates misericordijs pauperum, & forsitan deus hoc officio ei ignosceret. Et Tobias dicebat suo filio, Ex substãtia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciẽ tuam ab vllo paupere. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguũ libenter impartiri stude. præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniã eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Dicit etiam Ecclesiasticus capite 4, Fili eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere. Animã esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperẽ in inopia sua. Audi lubenter præmium, quod Christus pauperum alumnis, in extremo iudicio constituet, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere erã, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicẽtes, Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus: sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens rex dicet illis, Amen dico vobis, quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Et in Euãgelio Lucæ dicit Christus, Veruntamen quod superest, date eleemosynã, & ecce omnia munda sunt vobis. Dicit etiam Chrysostomus homilia 5. in 3. caput ad Titum, eleemosynã plus habere virium ad extinguenda peccatorum incendia, quàm virginitatem, saltem, vt arbitramur, consultam, quæ est mater charitatis, & proprium christianæ religionis insigne. Hieronymus etiam in Epistola ad Eustochium, de epitaphio Paulæ, præfert eleemosynam, quæ in viua dei templa, id est, pauperes erogatur, muneribus templo dicatis. Nec, vt existimo, frustra iecit sementẽ, qui frequenter pauperis inopiã, & transeuntis aquã subleuauit. Vnde dicit Esaias, Beatus qui seminat super aquam, vbi bos & asinus calcant. Nec quis potest nancisci charitatem dei, nisi membra Christi suis opibus refocillauerit. Dicit enim Ioãnes in sua prima epistola, Qui habuerit substantiã huius mũdi, & viderit fratrem suũ necessitatẽ habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? filioli mei, nõ diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate. Verùm vt maius indipiscamur præmium, debemus largiter impartiri bona nostra indigentibus. & hoc subindicat Ecclesiastes, dicens, Da partes septem, necnon & octo. ita quòd sis semper promptus ad abundè ferẽdum suppetias egeno, nec tibi præscribas quantum velis dare: si quadrantem dederis, stude vt duodecim asses largiri possis, imò aureum. nec huic refragatur expositioni Lyranus, hunc enarrans locum, vbi dicit, Da abundanter ex tuis bonis, indigentibus: ignoras enim quid mali futurum sit. quòd si acciderit intolerabilis fames, aut sæuissima pestis, aut cruẽtum bellum, tua tibi post mortem proderit pietas, nec optimo fraudaberis præmio. Hæc tamen Ecclesiastæ verba se-

Daniel. 4. Tobiæ 4. Ecclesiast. 4. Matth. 25. Lucæ 11. Chrysostomus. Hieronym. Esaiæ 32. 1. Ioan. 3. Lyranus.

cundum mysticam intelligentiam accommodat Hieronymus *veteri ac nouo instrumento: septenario, antiquum testamentum exprimitur, & octonario, nouum: & praecipitur vt in vtrunque testamentum, pari veneratione credamus.* Iudaei *dederunt partes septenario, admittentes sabbatum: sed nihil reliquerunt octonario, quia resurrectionem diei dominicae denegant.* Marcion & Manichaeus *veterem legem rabido ore dilacerantes, dant partem octonario, suscipientes* Euangelium: *sed eandem septenario numero non tribuunt, vetus testamentum respuentes.* Hebraei *ita hunc locum intelligunt: & sabbatum & circuncisionem serua, ne si hoc fortè non feceris, inopinatum tibi superueniat malum.* Quod *deinde dicit* Ecclesiastes *de oppletis nubibus, quae effundunt imbrem super terram, per tropologiam accommodatur his, qui vltronea volūtate, pietatis officia, egentibus praestiterunt: super quos copiosissimi diuinae gratiae imbres cadūt.* Dicit *enim* Christus, *Flumina de ventre eius fluent aquae viuae. & quo magis nostra impartimur, eo magis abundamus.* Ioan.7.

Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet. *Edisserens* Hieronymus *sublimem huiusce loci philosophiam, de ligno ad austrum, vel ad aquilonem cadente, dicit,* Hieronym. *Vbicunque locum tibi praeparaueris, futurámque sedem, siue ad austrum, siue ad boream, ibi cum mortuus fueris, permanebis.* Lignum *igitur quod in hac vita corruerit, & conditione mortalitatis fuerit incisum: aut peccauit antè dum staret, & in boreae parte postera ponitur: aut si dignos austro fructus attulit, in plaga iacebit australi.* Nec *est aliquod lignum quod aut ad aquilonem non sit, aut ad austrum: intellige austrum in bonam sumi partem.* Scriptum *est in* Abacuc, *Deus ab austro veniet.* Et *in* Cantico *canticorum dicitur, Exurge aquilo, hoc est, recede & abi, & veni auster.* Et *aquilonem saepissimè in malam partem.* Vnde *dicit* Hieremias, *Ab aquilone pandetur omne malum. aliquando tamen in bonam partem ponitur, quod docet propheta, dicens,* Psalmo 47. Mons Sion *latera aquilonis, ciuitas regis magni.* Et *rursum* Ezechiel *propheta, capite* 1. *Est super me manus domini, & vidi, & ecce spiritus fulgens veniebat ab aquilone.* Aut *dicere possumus, electos nomine austri designatos, post ruinam huius vitae, assequuturos vitam aeternam, si nullis grauentur vitijs: reprobos verò ad inferorum tenebras lapsuros.* Nisi *velit* Ecclesiastes *ad historiam dicere, vbicunque cecideris, etiam inopinato fato sublatus, & subita mortis tempestate subuersus, ibi iugiter permanebis, siue te rigidum & trucem: siue clementem & misericordem, vltimum inuenerit tempus.* Caue *ne hallucinatus huiusce loci intelligētia, in eorū errorem corruas, qui dicunt non esse ponendum purgatoriū, eo quòd* Ecclesiastes *solùm dicit, te aut ad aquilonem, aut ad austrum peruenturum.* Nam *quid sibi velit hic locus, iam enucleauimus. etiam cadunt ad austrum, & subito conuolant ad caelum, qui nec peccato mortali, nec veniali torquentur, & abunde in hoc mundo satisfecerunt: perditissimi verò ad aquilonem tendunt, & ad inferos, qui ex hac vita decedunt cum peccato mortali: qui verò hinc demigrant leuissimo scelere perculsi, noxa scilicet veniali, aut non abunde satisfecerunt pro suis delictis in hoc mundo, ad tempus, purgatorij sedes ingredientur.* Matthaei *enim* 12 *dicit*

Abac.3. Cantic.4. Hierem.1. Psalm.47. Ezechi.1.

Matth.12. *Christus, peccatum in spiritum sanctum neque remitti in hoc seculo, neque in futuro: nec dicerentur haec, nisi quodpiam peccatum posset remitti in futuro seculo, scilicet veniale, per quandam detestationem, qua voluntas reordinatur, ut sic loquar. Etiam dicit*
1.Corinth.3. *Paulus aedificantem lignum, foenum & stipulam, saluū fieri, sic tamen, quasi per ignem.*
2.Macha.12. *etiam Iudas Machabaeus iussit offerri sacrificium pro peccatis mortuorum. Plura alibi sumus de hac re dicturi. Quòd verò dicit Ecclesiastes, illum non seminaturum, qui obseruat ventum, vult innuere, neminem debere opportunissimum semper tempus expectare, ut iaciat sementem, aut quodpiam bonum opus faciat, alioqui astronomorum leges & praeceptiunculas obseruando, nunquam sereret, donec pro animi adlubentia sibi blandiretur caelum, & aeris serenitas. Qui etiam considerat, cui benefaciat, & non omni petenti se tribuit, saepe praeterit eum, qui meretur accipere. aliter. Qui tantùm eo tempore dei verbum praedicat, quo populus libenter auscultat, & secūda aspirat aura, tumoris sator, negligens, & ignauus agricola est: in ipsis enim prosperis, dum nescimus, aduersa consurgunt. Sed opportunè, importunè, suo tempore dei sermo est praedicandus, nec fidei tempore, aduersariarum nubium consideranda tempestas. Venatur etiam auram vulgi, & inani gloriae vento iactatur, qui solum humaniores literas profitetur, cū sibi arridet & applaudit frequentissimum auditorium, solum ille pascit ventum, & coram populo, suas dilatat phaleras & fimbrias. Si non puduerit Christum docere mulierem Samaritanam, qui suam profitendo sapientiam; secedebat à confertissima turba, neque te pudeat vnum atque alterum auditorem instruere.* Quomodo ignoras quae sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre praegnantis: sic nescis opera dei, qui fabricator est omnium. *Quemadmodū nos latet quónam artificio, quánam denique via, spiritus & anima ingreditur paruuli corpusculum, & quo temporis momento, nectatur materiae, nec agnoscimus planè discrimen ossium & venarum in vtero praegnantis, ita perfectissima dei opera scire non possumus.*
Hieronym. *Hunc explicans locum Hieronymus dicit: Sicut nescis viam spiritus, & animae ingredientis in paruulum, & ignoras ossium & venarum varietates in ventre praegnantis, quomodo ex vili elemento corpus hominis in diuersas effigies artúsque varietur, & de eodem semine, aliud mollescat in carnibus, aliud durescat in ossibus, aliud in venis palpitet, & aliud ligetur in neruis: ita dei opera scire nō poteris, qui factor est omniū. Ex quo docet contraria non timenda, nec temere de ventis & nubibus iudicandum, cum suo tempore & cursu debeat sator pergere, & euentum sententiae domini reseruare.*
Roma.9. *Non enim volentis neque currentis, sed dei miserentis est. haec ille. Et licet philosophus*
Philosophus *nouerit ossa omnia, aut foris vicissim tangi, aut alterum inseri alteri, & neruis ligari, & circiter ossa quāuis neruorū copiam duci, capite excepto: id enim non neruis, sed suturis ipsorū ossium continetur, vt scribit libro 3. de historia animaliū, cap. 5. & cap. 7. dicit, initium in omnibus, quae ossibus cōstant, esse spinam: quae compacta ex vertebris à capite ad coxas porrigitur. & ossium animalis eiusdem, alia medullam intra se continent, alia minimè: nemo tamen adeptus est perfectissimā naturae cógnitionem, & quò magis putat se arcana naturae comprehendisse, eò minus consequitur, & vehementius*

delirat, cum omnes ingenij vires explicat ad intelligendum dei artificium. & quia ignorat, an hac nocte morietur, ideo minus debet suam mentem anxijs rerum humanarum curis diuexare, nec suã spem in accumulandis diuitijs collocare. Nec immerito repreben*dit Christus diuitem illum, qui volebat amplissima extruere borrea, in quibus suas opes reconderet, & tandem suam vitam in delicijs transigeret: cui dixit deus, Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in deum diues.* Lucæ 12. *Denique sumus incerti si nam deus nos velit in suum regnum accersere, aut detrudere ad inferos: aut quòd in manus nostrorum inimicorum incidemus, aut à periculis eripiemur.* Et *quia nescimus plenè voluntatem dei, nihil nobis conducibilius erit, quàm beatè viuere, nulli conuiciari, neminem concutere, omnibus prodesse, & synceram honestæ vitæ amicitiam conseruare.* Edisserens Ecclesiasticus de *operibus dei nobis occultis, dicit:* Quis *videbit eum & enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est ab initio?* Multa *abscondita sunt, maiora his: pauca enim vidimus operum eius.* Ecclesia. 43. Nec *Ecclesiastæ aduersatur, quod dicit* Paulus *ad Romanos:* Quod *notum est dei, manifestum est in illis, deus enim illis manifestauit: inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles.* Rom. 1. Nam *solum innuit nos cognoscere deum, cognitione quidem quia est, per ea quæ facta sunt, sed non cognoscimus rationes, quibus architectus ille supremus, creaturas producit: nec potest vis nostri ingenij attingere, quæ in mente diuina latent, & quãdo, & quo fine quidpiam creabit.* Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tuas, quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud: & si vtrunque simul, melius erit. Dulce lumen & delectabile est oculis, videre solem. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierũ multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito quòd pro omnibus his adducet te deus in iudicium. Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. adolescentia enim & voluptas vana sunt. *Nos prouocat & adducit ad cõtinuum laborem, vt opportuno tempore iaciamus sementem, nec ab opera desistamus: quid enim scimus, si quod diluculo seminauimus, fructũ adferet, aut quod vespere seminatum est? aut si vtrunque perueniet ad frugem? euenit aliquando, vt si mane nostram perdiderimus operam, vespere serendo resarciemus iacturam, & deus multiplicabit semen nostrũ. sicut dicit* Paulus 2. Corin. 9. Q*ui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem deo: nec scire possumus, an labores nostri nobis optimum pariẽt fructum, denique incertum est quod opus magis placeat deo: potest accidere vt non vnum, sed vtrunque placeat.* 2. Corint. 9. Et *in adolescentia, & in senectute insistendum est operi, nec excusationem*

promereri possumus dicendo, laborauimus in ætate florida, idcirco in senectute feriabimur, & quiescemus. Nos enim præterit, *si nam in iuuentute, an in ætate decrepita, erimus deo grati. quid enim nobis prodest adolescentiæ frugalitas & continentia, si in senecta soluamur luxu & delicijs? in quacunque enim die errauerit iustus, ob veterem iustitiam à morte liberari non poterit. Quòd si semper benefeceris, & omni ætati æqualem cursum habueris, videbis deum, dulcissimum lumen, videbis Christum solem iustitiæ. quòd si multis annis vixeris, & recorderis miseriarum, quas aliquando perpessus es, & inspectis malorum tenebris, cogites te breui moriturum, præsentia, quasi fluxa, fragilia & caduca contemnes. contende igitur summa cum diligentia, optimum ex semente euangelica fructum decerpere, nec torquearis terreni seminis solicitudine, quod non semper peruenit ad frugem, vt ostendit Christus in* Euangelio *Matthæi, dicens:*
Matth.13. *Exijt qui seminat seminare, & dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam, & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ: sole autem orto æstuauerunt, & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas, & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.* Deinde dicit Ecclesiastes: *Exhilarescat animus tuus, quandiu tibi arrident iuuentutis sales, facetiæ & deliciæ, quicquid denique tuis perplacebit oculis, & tibi gratum fuerit, assume, fruere vt libet huius mundi voluptatibus, caue tamen ne tibi dominetur lasciuia, & rerum omnium libido: quòd si rebus huius seculi insolescas & abutaris, haud dubiè acerrimas aliquando lues pœnas, & extremo occurres iudicio: in quo vitæ tuæ redditurus es rationem: & ne tuo malo incidas in horrendum illud iudicium, in*
Matth.16. *quo filius hominis reddet vnicuique secundum opera eius. doma noxios tui animi affectus, immoderatam deuita iracundiam, nec à recto virtutum tramite deflectas, pensita nihil esse vanius adolescentia, nihil denique voluptate fluxibilius.*

ARGVMENTVM DVODECIMI CAPITIS.

Non sis vsqueadeo ingratus, nec ea detestandæ ingratitudinis nota cōtamineris, vt dū floridam agis ætatē, dei optimi & maximi, à quo tua pendēt omnia, te capiat obliuio. tempore enim afflictionis, & dum tibi vndique tribulationū procellæ insurgent, tuæ te pœnitebit ingratitudinis, deíque gratiam neglexisse. & cum in extremo iudicio conspicies solem obtenebrescere, & lunam, ac stellas densissimis obscurari tenebris, alios denique ad cælum euehi, alios deturbari ad inferos, dolebis vehementer te impiè vixisse: sed frustra tuam deplorabis iuuentutem miserè transactam, & vani erunt tui dolores. agnosces interim quàm sit miserum humanis fidisse rebus, & suæ spei anchorā in diuitijs, ac momētaneis voluptatibus defixisse. torqueberis & acrius quòd cernes destinata esse æternæ vitæ præmia his, qui diligenter dei mandata obseruarunt: illis verò, qui sanctas dei leges trangressi sunt, æterna supplicia.

CAPVT DVODECIMVM.

MEmẽto creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequã veniat tempus afflictionis tuæ,& appropinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placẽt. antequam tenebrescat sol & lumen,& stellæ,& luna,& reuertantur nubes post pluuiam: quando cõmouebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi,& otiosæ erunt molentes in minuto numero. Et tenebrescẽt videntes per foramina,& claudent ostia in platéa, in humilitate vocis molẽtis,& consurgẽt ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis. Excelsa quoque timebunt,& formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta,& dissipabitur capparis. quoniã ibit homo in domũ æternitatis suæ,& circumibũt in platéa plangentes, antequam rumpatur funiculus argenteus,& recurrat vitta aurea,& conteratur hydria super fontẽ,& confringatur rota super cisternam,& reuertatur puluis in terrã suam vnde erat,& spiritus redeat ad deum qui dedit illum. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes,& omnia vanitas. Cúmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum & enarrauit quæ fecerat:& inuestigãs composuit parabolas multas. Quæsiuit verba vtilia,& cõscripsit sermones rectissimos, ac veritate plẽnos. Verba sapientium, sicut stimuli,& quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno. His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequénsque meditatio, carnis afflictio est. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time,& mandata eius obserua. hoc est enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt, adducet deus in iudiciũ, pro omni errato, siue bonũ, siue malũ sit.

FINIS.

MEmento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ,& appropinquẽt anni, de quibus dicas, non mihi placent. Antequam tenebrescant sol & lumẽ, stellæ & luna,& reuertantur nubes post pluuiam. *Ea insolescunt homines in prosperis arrogantia, eóque superbiæ fastu turgescunt, vt nec dei, nec sui sint memores, nec extremæ paupertatis & miseriæ, in quam aliquando inciderunt, recordentur: nec ipsis venit in mentem, se ex obscuris parentibus,& in tenuissima casula ortos esse. Neminem putant sibi esse secundum, omnes contemptim auersantur, & blanda occæcati fortuna, se omnium felicissimos esse existimant, nec principum minis & potentia terrentur, nec Iouis fulmen pertimescunt. At vbi procellosis aduersitatum fluctibus concutiuntur, & ingruente bello affliguntur, discunt nihil esse pernitiosius homini, quàm in prosperis, insolescentia & arrogantia intumescere: nihilq; exitialius quàm suas iactasse opes,& terrenis fidisse diuitijs. Etenim calamitosus Crœsi Lydorum regis opulentissimi exitus, comprobauit verissimam Solonis sententiam, dicentis: Neminem esse bea-*

tum ante obitum. Idcirco prudenter nos monet Ecclesiastes, vt dei simus memores, tempore nostræ iuuentutis, in quo promptius & animum & corpus deo consecrare possumus, quàm tempore morbosæ senectutis: & expendamus quid præclarè aut turpiter à nobis gestum est, nec efferamur in prosperis, nec deijciamur in aduersis: ac mortis vltimæ recordemur, antequam tempus adueniat, quo tristia quæque lætis succedant: in quo agnoscemus solem obtenebrescere, & stellas suo destitui lumine, & nubes, terra pluuijs irrigata, ad suam sedem propter hominum vitia & ingratitudinem reuerti. Hæc Ecclesiastæ sententia, cohæret his, quæ dicit Christus in Euangelio Matthæi, de generali con
Matth.24. *summatione mundi: Statim autem, inquit, post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate.* Quando commouebuntur custodes domus, & nutabuntur viri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina, & claudent ostia in platea in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis. *Enarrans Hieronymus hæc captu difficilia, dicit custodes domus, aut solem intelligi & lunam, & reliquum astrorum chorum, aut angelos qui huic mundo præsident: viros verò fortissimos qui peribunt, dæmones, qui à forti diabolo, etiam ipsi fortium sortiti sunt vocabulum, quem superans dominus & ligans, iuxta Euangelij sententiam, vastat domum eius. Alij. Custodes domus, qui ad corpus hominis referunt cuncta quæ scripta sunt, costas significari putant, quòd ab ipsis intestina vallentur, & tota ventris mollitudo seruetur: viros verò fortes, crura æstimant: Solem & lunam & stellas, ad oculos, aures, nares & totius capitis sensus coaptant. nam quæ subnectũtur, intelligenda sunt de hominum membris, non autem de angelis & dæmonibus, neque de sole & luna & stellis: cũ dicit Ecclesiastes: Otiosæ erunt molentes, de dentibus dictum putes, quòd cum extrema senectus aduenerit, dentes quoque aut atteruntur, aut decidunt, de quibus moliti cibi in aluum transmittuntur: tenebrescere autem videntes in foraminibus, oculos arbitrantur, quòd ætate confectis, caliget acies, & intuitus obscuretur. Aliter. Duæ molentes sunt, ex quibus vnam recipi, & alteram re-*
Ibidem. *linqui Euangelium non tacet, quæ cum imminutæ fuerint, atque cessauerint, necesse est, vt omne lumen sciẽtiæ auferatur ex oculis: & qui obtenebrescunt videntes per foramina, dicũtur ij qui errorum & vitiorũ tenebris inuoluti, solùm vidẽt veritatem per quas-*
Exod.33. *dam rimulas. Si enim Moysi dicitur: Ponam te in foramine petræ, & sic posteriora mea videbis, quanto magis vnaquæque anima per foramen & quasdam tenebrosas cauernas, aspicit veritatem. Et cum vox molentis fuerit infirmata, & magistrorum doctrina cessauerit, consequenter cessabunt omnia, inter quæ & ostia claudentur in platea, vt*
Matth.25. *iuxta fatuas Euangelij virgines, vnusquisque habeat clausas suæ plateæ ianuas, & illæ oleum emere non possint, vel certè fatuis virginibus circũeuntibus in platea, claudent*
Matth.7. *cubiculum sponsi, quæ cum eo intrauerint. Si enim arcta est via, quæ ducit ad vitam:*

& spatiosa, quæ ducit ad mortem, rectè refrigerata charitate multorũ, ostium doctrinarum clauditur in plateis. Et ad vocẽ volucris, siue passeris, scilicet ad tubam archangeli resurgent mortui, passer in bonam sumitur partem. Vnde dicit David, *In domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? & alibi, Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. atq; iterum, Etenim passer inuenit sibi domum. Aliter, Clausas in plateis ianuas, & infirmos senis gressus accipi volunt, quòd semper sedeat, & ambulare non possit. humilitatẽ autem vocis molentis de mandibulis, interpretantur, quòd cibum terere nequeat, & vix spiritu coartato, vox eius tenuis audiatur. Porro consurgere eum ad vocem volucris, ostendit quòd frigescente iam sanguine, & humore siccato, quibus materia soporis alitur, ad leuem sonitum euigilet, noctisq; medio, cum gallus cecinerit, festinus exurgat, nequaquam valens strato sæpius membra conuertere. Obmutescere quoq;, siue obsurdescere filias carminis, aures significat, quòd grauior senum auditus fiat, & nulla inter voces valeãt scire discrimina, nec carminibus delectari. Quod quidẽ & Berzellai loquitur ad* David, *nolens transire* Iordanem. *Cum enim dixisset* David Berzellai *Galaaditæ octogenario, Veni mecũ vt requiescas securus in* Hierusalem, *ait* Berzellai *ad regem, Quot sunt dies annorũ vitæ meæ, vt ascendam cum rege in* Hierusalem? *Octogenarius sum hodie, nunquid vigent sensus mei, ad discernendum suaue aut amarum, aut delectare potest seruum tuum cibus & potus, vel audire possum vltrà vocem cantorum atq; cantatricum? Quare seruus tuus sit oneri domino meo regi? Paululũ procedam famulus tuus ab* Iordane *tecũ. Non indigeo hac vicissitudine, sed obsecro vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei & matris meæ.* Excelsa quoque timebunt, & formidabunt. in via florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circumibunt in platea plangentes. *Senes ardua ingredi non valẽbunt, & lassis poplitibus, ac trementi vestigio, etiã in plano itinere fluctuantes, offensam gressuum formidabunt. quòd autem dicit* Ecclesiastes *florere amygdalum &c. intelligendum est per metaphoram de membris hominis. Cum autem senectus aduenerit, capillus incanuerit, tumuerint pedes, libido refrixerit, & homo morte fuerit dissolutus, tunc reuertetur in terram suã, & in domum æternitatis suæ, sepulchrũ exequijs quærat celebratis, plangentiũmq; funus turba præcedat. Florẽ amygdali quidã sacram spinam interpretantur, quòd decrescentibus natium carnibus, spina succrescat & floreat. Porro quod ait, impinguabitur locusta, indicat senum crura tumentia, & podagræ tumoribus prægrauata. Et cum dicit, dissipabitur capparis, ostendit senum libidinem frigescere, & organa coitus dissipari. Capparis herba est, secũdum* Dioscoridem, *spinosa, super terram expansa, sapore subamara, colore rufa, quæ plurimũ valet ad splenis & ventris duritiam molliendam. Hac herba, vt dicũt nonnulli, excitatur luxuria, quæ in senio fractis elanguescit. Hæc verò nomina, amygdalum, locusta & capparis, per figuram & etymologiam seni conueniunt. Amygdalum pro canicie, locusta pro crurum dolore, ac pedum tumore, & capparis pro frigescente libidine. Hac sententia, ibit homo in*

Psalm. 10.
Psalm. 101.
Psalm. 83.
2. Regũ. 19.

domum suæ æternitatis, manifeste docet, animã hominis immortalem esse, & ad deum fracto vase in quo occlusa erat, reuersuram. Planè fatetur Cicero libro 1. Tusculanarum quæstionũ, optimè sentiens cum Pythagoricis & Platonicis, de immortalitate animæ, hominem exanclatis suis laboribus, in domum suæ æternitatis remigraturũ, Si supremus, inquit, ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci, quid optabilius? Sin autem perimit, ac delet omnino, quid melius, quàm in medijs vitæ laboribus obdormiscere, & ita conniuẽtem somno consopiri sempiterno? Quod si fiat, melior Ennij, quàm Solonis oratio. Hic enim noster, Nemo me lachrymis decoret, inquit, nec funera fletu Faxit. At verò sapiẽs ille, Mors mea ne careat lachrymis, linquamus amicis Mærorem, vt celebrent funera cum gemitu. nos verò si quid tale acciderit, vt à Deo denuntiatum videatur, vt exeamus è vita, læti & agentes gratias, pareamus, emittiq; nos è custodia, & leuari vinclis arbitremur, vt aut in æternam, & planè in nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiáque careamus: sin autem nihil denuntiabitur, eo tamen simus animo, vt horribilem illum diem alijs, nobis faustum putemus, nihílque in malis ducamus, quod sit vel à dijs immortalibus, vel à natura parente omniũ constitutum. non enim temerè, nec fortuito sati & creati sumus, sed profecto fuit quædam vis, quæ generi consuleret humano, nec id gigneret, aut aleret, quod cũ exantlauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. Portum potius paratum nobis, & profugium putemus, quo vtinam velis passis peruehi liceat. Antequam rumpatur funis argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad deum qui dedit illum. Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas. *Concinnè cohærẽt hæc præcedẽtibus. Siquidem monuerat vt dum in nobis floreret ætas, & vegetior esset spiritus, dei memores essemus, & candidum nostræ pubertatis florem diuino litaremus obsequio, & omnimodã nostræ iuuentutis operam & industriã sacræ religioni deuoueremus, etiam antequam sol obtenebresceret, & astrorũ lumen extingueretur: nunc verò idem exprimit, sed alia figura. Studeamus placere deo, eiq; nostræ sanctimoniæ studia dedicare, antequam disrumpatur hæc vita candida, argenteo funiculo adumbrata, & spiritus hinc ad deum demigret, à quo dimanauerat, quem effigiat vitta aurea. quod autem subiungit de contrita super fontem hydria, & confracta super cisternam rota, mortis indicia & ænigmata subindicat. Quemadmodum enim hydria, quæ conteritur, cessat haurire, & rota per quam de lacu & puteis hauriuntur aquæ, si confracta fuerit, aquæ vsus intercipitur: ita cum argẽteus funiculus, & animæ riuulus ad pristinũ dei fontem recurrerit, interibit homo. Et expressius multo explicat Ecclesiastes, dicens, Cum reuertetur puluis in terram suam, vnde sumptus est, & spiritus ad cælestem locũ, à quo exierat, remigrabit.* Augustinus. *Hunc locum explicat abunde Augustinus libro 10. de Genesi ad literam, capite 9, vbi dicit, quosdam respondisse huic authoritati, Redit spiritus ad deum, qui eum dedit homini primo, quando in eius faciem sufflauit, conuerso puluere, id est, humano corpore in terram suam, vnde primitus factum est. Neque enim ad pa-*

rentes erat spiritus rediturus, quanuis inde sit creatus ex illo vno, qui homini primo datus est: sicut nec ipsa caro post mortem ad parentes reuertitur, à quibus eam certe constat esse propagatam. Quemadmodũ ergo caro non redit ad homines, ex quibus creata est, sed ad terram, vnde primo homini formata est, ita & spiritus non redit ad homines, à quibus transfusus est, sed ad deum, à quo primæ illi carni datus est. Quo testimonio sanè satis admonemur, ex nihilo deum fecisse animam, quam primo homini dedit, non ex aliqua iam facta creatura, sicut corpus ex terra: & ideo cum redit, nõ habet quo redeat, nisi ad authorem qui eam dedit. Hæc ille. sed non cõsentit cum illis, qui dicunt spiritum hominis esse creatũ ex illo vno, qui homini primo datus est. Nam anima rationalis, vt dicit, ex nulla creatura facta est, sed à deo ex nihilo. Ex quo arguendi sunt & deridendi, qui arbitrantur animam rationalem à corporum parẽtibus progenitã esse, non autem à deo creari. Si enim caro redigatur in pulucrem, & in terram reuertatur, & spiritus redeat ad deum, qui dedit illum, manifestum est, Deum esse animarum authorem & patrem, non autem homines. Et miro tandem artificio concludit Salomon, quod ab exordio sui luculentissimi operis auspicatus est, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Si enim fortunæ bona spectes, quibus nihil est fluxibilius, aut insignes corporis dotes, eximiam scilicet corporis formam, proceritatem, elegantiam, dexteritatem, & alacritatem: aut si animi beneficia attingas, virtutes, scientiã, artes, & ingenuas ac liberales disciplinas, hæc scias omnia, vanitati esse obnoxia, nihilque in hoc mundo existere, quod non sit mutationi subiectũ, nihilq́ stolidius homine, qui inhiando terrenis, perdit cælestia. Quid porrò vanius, quàm aut industria, aut armis, aut dolo, totum mundum lucrari, & suæ animæ iacturam facere? Matth. 16. Cúmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum & enarrauit quæ fecerat: & inuestigans composuit parabolas multas. Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos. *Non dissimulat Ecclesiastes se & sapiẽtia & omni disciplinarũ genere, cæteris regibus præcelluisse, qui non abijt contentus veteris legis institutione, sed in abditissimas rerum omnium quæstiones se vltro demersit, & ad instituendum rudiores, ædidit Parabolas & Prouerbia. Siquidem memoriæ proditum est, Salomonẽ locutum tria millia Parabolarum, cuius carmina fuerũt quinque millia.* 3. Regum 4. *Parabolis etiã Christus proletarium vulgus, & imperitiores docebat. Cum enim discipuli Christi, suo dicerent præceptori, Quare in parabolis loqueris turbis? respondens Christus, ait illis, Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorũ, illis autẽ non est datum.* Matth. 13. *Nec tamen existimes Prouerbia Salomonis omnibus esse apertissima. Sicut enim in terra aurũ, & in nuce nucleus, & in hirsutis castanearum operculis, absconditus fructus inquiritur: ita diuinus in eis sensus altiùs latet, nec sine hominis labore & studio erui potest. Voluit deinde omnium rationes & causas perquirere, ac diuinam intelligere prouidentiam: & hoc vtilissimis sermonibus (qui in hoc opere continentur) intentauit negotium, nec tamen suo potitus est voto.* Verba sapientium, sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno. His amplius fili mi ne requiras, faciendi

plures libros nullus est finis: frequénsque meditatio, carnis afflictio est. *Commodissima sapientū verba, suum habent aculeum, suum denique pungentem stimulum, quo liberius delinquentes castigant, & in corrigenda nephariorum scelera commouentur, nec hominibus assentantur, nec stultis & diuitibus molliter adblandiuntur. Et ne videretur* Ecclesiastes *post legem dei, veluti temerarius præceptor subito erumpere, suámque iactare sapientiam, & antiquæ legis doctrinam contemnere, quam* Moyses *non tam sua sponte, quàm deo irascente primū, dehinc inspirante susceperat: dicit verba sua esse verba sapientum, quæ in similitudinem stimulorum, errantes corrigunt, nec minus firma sunt, quàm claui in altum, ac solidum defixi, nec vnius arbitrio, ac authoritate proferūtur, sed consensu, ac magistrorū omnium consilio.* Et *ne contēneretur hominum sapientia, dicit eam esse ab vno pastore concessam, scilicet à deo & à spiritu sancto, qui cælestis sapientiæ author est vnicus.* Et *hic locus plurimum facit aduersus illos, qui alium veteris legis, alium* Euangelij *existimant* Deum. *Sed quod subinde dicit, plurimum habet virium, ad increpandam illorum stultitiam, qui toto studio, omnibúsque ingenij viribus conantur, si quid cuderint, chalcographorū typis subito committere, exiguísque codicellis suum nomen in publicum proferre, quos tam auida humanæ gloriæ sitis detinet, vt animo gestire non possunt, nisi sui ingenij specimen fecerint, & posteritati suorum studiorum monimenta reliquerint: qui potius deberent maiorum vestigijs inniti, & ab antiquæ lectionis authoritate ne latum quidem vnguem discedere, quàm temere sua diuulgare studia. Sed ea nos torquet ambitio, vt æditis libris satiari non possimus, sed velimus noua semper voluminum fætura, orbi innotescere. sed quò magis hæc versamus animo, & pensiculatius meditamur, eo magis diuexamur, & magis nos affligit labor mentis quàm corporis.* Nolim *tamen præclara illorum monimenta damnare, qui humaniores literas, & sanctiora studia suis lucubrationibus iuuerūt.* Quòd *si diuersi libri in vnum conspirent, & in eum, qui in principio erat verbum, tendāt, nec sententijs dissideant, non tam dicendi sunt plures, quàm vnus. quemadmodum quatuor* Euangelia *ad Christi gloriam contendentia, vnum sunt* Euangelium: *cum vero discrepant omnino, & animum huc & illuc fluctuantem rapiunt, in vno plures sunt, & istorū non est finis.* Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua. hoc est omnis homo. Cuncta quæ fiunt, adducet deus in iudiciū, pro omni errato, siue bonū, siue malum sit. *Nihil hac sentētia existimo me vnꝙ audisse sanctius, nihil diuinius, nihil deniq̧ omniū votis expetibilius.* Et *licet hebræi aliquando putauerint hunc librum esse obliterādum, ꝙ vanas asserat dei creaturas, & omnia quæ in hoc mūdo subsistūt, arbitretur esse caduca, fluxa & momentanea: tamen censuerunt hoc opus præclarissimum ex hoc etiam vno capite, meruisse authoritatem, vt canonicarum scripturarum numero ascriberetur, quòd totam disputationem suam, hac quasi* ἀνακεφαλαιώσει *coartauerit, & dixerit, omnem sermonum suorum auditum esse promptissimum, nec quicquam in se habere difficile, & quod non possit homo diuina adiutus gratia, nancisci, vt scilicet deum timeamus, eiúsque præcepta obseruemus.* Ad *hoc enim natus est homo, vt suum creatorem religione*

colat, & syncero metu, ac opere mandatorum veneretur. nec veram & ipsissimam hominis imaginem refert, qui hæc diligenti studio non obseruat. Multis in locis expressit Dauid quantum commodi assequantur, qui dei iussis obtemperant. Eum in primis censet esse beatum, cuius voluntas in lege domini sita est, & in lege eius meditabitur die ac nocte: & præmium accepturum, quia custodiuit vias domini, nec impiè gessit à deo suo. Et rursum: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini. Iterum: Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. Item: Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Et in eodem psalmo, in quo abundè loquitur de lege dei à nobis obseruanda, eos indicat esse maledictos, qui declinant à mandatis dei. Et in propheticis oraculis deus imprecatur maledictionem filijs Israel, quòd eius legem abiecerint. Tum etiam dicit Salomon in Prouerbijs, Fili mi si custodieris sermones meos, & mandata mea absconderis penes te, vt audiat sapientiam auris tua, inclinabis cor tuum ad cognoscẽdam prudentiam. Et iterũ: Fili mi ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Item: Serua mandata mea & viues. Et alibi: Qui custodit mandatum, custodit animam suam. Dicit etiam Ecclesiasticus: Quis enim permansit in mãdatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? Et alibi: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta sua, si volueris, mãdata conseruabunt te. Insuper: Sapiens non odit mandata & iustitias, & non illidetur quasi in procella nauis. homo sensatus credit legi dei, & lex illi fidelis. Et Paulus ad Romanos dicit illum implere legem, qui diligit proximum. nec diceris nosse deum, nisi eius mandata obserues. Dicit enim Ioannes in sua prima epistola: In hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est. Nec putes sola fide tibi ianuam regni cælestis patere. nam dicit Christus: Non omnis qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Et dixit cuidam adolescenti sciscitanti quídnam ageret, vt vitam æternam assequeretur, si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Hæc planè indicant solam fidem in his, qui vtuntur ratione, non sufficere, vt quis conscendat cælos. Nec propterea diligimus Christum, quia eius mandata aut scimus, aut habemus etiam animo insculpta, sed opus est illa seruare. Dicit enim Christus: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Noscant igitur homines, vt aliquando finiamus, se diligere deum, cum timent eum offendere, & eius præceptis obsequuntur. Ad hæc, omnium studia, vires & conatus inflecti debent. Et cum iudicij tempus aduenerit, & classico archangeli, ad reddendam nostræ vitæ rationem vocabimur, agnoscet vnusquisque quid boni aut mali egerit: nec solum de grauioribus vitijs reddet rationem, verumetiam

Psalm.1. Psalm.17. Psalm.118. Prouerb.2. Prouerb.3. Prouerb.7. Ecclesia.2. Ecclesia.15. Ecclesia.33. Rom.13. 1.Ioan.2. Matth.7. Matth.19. Ioan.14.

de leuioribus, de verbo otioso, & quibuslibet erratulis, æqua lance librabũtur omnium merita & demerita. Et cum in omnes lata fuerit sententia, beati æterna fruentur gloria, miseri verò perpetuis torquebuntur supplicijs.

COMMENTARIORVM IOANNIS ARBOREI IN ECCLESIASTEN, FINIS.

Nobilissimo ac Reuerendissimo

CARDINALI, LVDOVICO BORBONIO IOANnes Arboreus, Doctor Theologus Parisiensis, S. P. D.

Mihi toto cælo, totáq; via errare videntur, Antistes dignissime, qui cum sint ad illustranda bonarũ literarum studia optimo genio nati, illísq; præclara naturæ adminicula, virtutum scintillulæ, & bonorũ omnium præsidia faueãt, nec naturam ducem sequũtur, nec excolunt: sed oscitantia, torpedine, & ignauia soluti, ac voluptatũ hamo inescati, vmbratilem agunt vitam, diem otio transigũt, & bonas horas perdunt, nec sordidissimo inertiæ luto volutati, perpẽdunt cuius rei gratia fuerant à natura ficti & efformati, nec disquirunt finem, ad quem sua debuerant destinare studia: quorum vita nihil est abiectius, nihil deploratius, nihil deniq; miserius. Quandoquidem omnibus compertum est, naturam finxisse homines hominum causa, vt ipsi inter se alij alijs prodesse possent, & vicaria opera, mutuísque officijs seipsos iuuarent, ac suos conatus, suámq; industriam, & indefessos labores, ad communem reipublicæ vtilitatem cõferrent: quibus persuasum esse debet, nihil præclarius, nihil denique optabilius, quàm naturæ igniculos, & subsidiaria virtutum seminaria adaugere: nihil verò deterius, & turpius, quàm huiusmodi adiumenta imminuere, aut sinere, vt nostra negligentia ac pigritia flaccescãt. Nam quemadmodum ager suapte natura feracissimus, si non colatur, squallet vepribus, lappis & carduis obsitus: ita ingenia natiua indole ad nanciscendam virtutem adiuta, si labore & exercitio non excolantur, fiunt squallida, & omnino marcescunt: si verò arte & studijs illustrentur, optimos pariunt fructus, & ad summum virtutis fastigium euehuntur. Enimuero qui propria naturæ bona, optimis disciplinis fouent, eáq; sinunt adolescere, perfectiores euadunt. Quamobrem non est deserendum id bonum, authore Quintiliano, libro secundo suarum institutionum, quod ingenitum est, sed augendum. Nec vsqueadeo dexteritati naturæ fidendũ est, vt artis & doctrinæ subsidia deseramus: si enim sola natura sufficeret, omnino superuacua esset doctrina. Et licet natura ad discendum vim adferat maximam, absque tamen disciplina ac arte, imbecilla est & imperfecta, minúsque eualescit: ars deniq; naturæ patrocinio destituta, res est manca ac mutila: cũ autem mutuò se iuuant, opus efficiunt absolutissimum. Cum igitur Mecœnas humanissime, non sim nescius me à natura rerum omnium prouidentissima, ad subeundos pro republica labores procreatum esse, dedi operam vt ad publicũ sacratum

literarum officium, omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationésque laborarent,& patriam omnium nostrum communem, qua nihil mihi est charius, nihílque dulcius, meis studijs illustriorem redderem: nullísque vnquam peperci laboribus, vt nobilissimam ac antiquissimã Vindocinensium domum, domum equidem virtutis & regiæ dignitatis, eximijs literarum monimentis exornarem. Etenim doctissimi quiq; me felicissimum existimant, quòd hæc regia domus, tuis præclaris virtutibus, tuáque augustissima maiestate insignita, me in numerum suorum asciuerit. Sed ne detestanda ingratitudinis nota inurerer, & magnitudinem tuorum erga me beneficiorum obliuione sopirem, conatus sum indefesso labore hisce commentarijs, tuum in me propensissimum animum, aliquantulum pensare. Fateor ingenuè,& semper fatebor, me tibi esse deuinctissimum, meáque ex te pendere studia: quæ si quid laudis & commendationis apud bonarum literarum amantissimos, sint habitura, tibi ascribetur,& in tuum cedet honorem. Nec solùm tua beneficentia, qua multorum literæ fouentur, me mouit, vt meæ eruditionis specimen, ac commentarios in Canticum Canticorum æditos, tibi consecrarem: verumetiam tui optimi mores, ingenij dexteritas, literarum candor, illibata vitæ sanctimonia, inuicta religio, modestia,& admiranda tuæ maiestatis amplitudo, qua cæteris Ecclesiæ principibus lõgè antecellis. Deniq; consummatá prudentia, morum mansuetudine ac facilitate,& alijs excellentissimis virtutibus, apud viros summi nominis,& eos potissimũ, qui tecum lateri FRANCISCI Gallorum regis Christianissimi adhærent, immortalem tui nominis gloriam peperisti. Porrò nemo est qui non tibi pro communibus studijs,& regijs negotijs, quibus haud dubiè magis quàm tuis incumbis, assurgat,& eò lubentius ac propensius te suspiciunt omnes,& colunt, quò magis studes Christianismum à pestilentissima hæreticorũ doctrina protegere. Et qui tua familiaritate, ac composita viuendi consuetudine fruuntur, insignem tuæ humanitatis dexteritatem maximopere commendant,& admirantur, nihilq; quod non in te sit magnum & excellens, conspiciunt. Quid me Hercules ad exornandum cùm literas, tum virtutes optari potest, quod in te non sit cumulatissimum? Quid denique absq; limato consilio, iustitia,& omnium beneuolentia à te confectum est vnquam? Ecquem vnquam vidimus hominem, ecquem verè commemorare possumus, tibi parem consilio, grauitate, constantia, cæteris virtutibus, honoris, ingenij, ac rerum gestarum ornamentis? Gaudent sanè viri clarissimi, quòd prompto animo humanioribus literis patrocineris,& eas res despicias, ad quas plerique inflammati auiditate rapiuntur, nec quicquam te magis delectet, quàm syncera & germana sacrarum literarum lectio, qua secretissima dei arca-

na, & sublimia rerum diuinarum mysteria intelligis, & animi procellas (si quæ suboriantur) leuissimo negotio mitigas. Hoc itaque tuarum virtutum amore accensus, difficillimũ Salomonis opus in Canticum Canticorum, nostris commentarijs illustratum, tibi deuoui, quod vbi accuratè legeris, agnosces me nonnihil adiumenti, sacris literis attulisse.

Bene Vale.

Ex sacro Sorbonicæ domus Musæo.

IOANNIS ARBOREI LAVDVNENSIS IN CANTICVM CANTICORVM, PRAEFATIO.

QVi sublimia sacrarum literarũ mysteria intelligere cupiunt, optimis primùm moribus mentẽ excolunt & illustrant, & toto conantur studio, à fœda improborum consuetudine abhorrentes, in quietum literarum otium secedere, quo purius & facilius abstrusissima sacræ philosophiæ studia, & arcanas literas perdiscant: nec putant se posse illotis pedibus sacrarum musarũ, ac diuinæ sapiẽtiæ sanctuariũ ingredi, nec absq; virtutis præsidio perfectam sacræ scripturæ nancisci cognitionẽ. Nulli siquidem vnquam voluptatibus dedito, contigit rerum diuinarũ sacramenta cognoscere, quid dico cognoscere? imò ne quidem primoribus labris degustare. Quis deniq; suis immersus delicijs, pulcherrimas sanctioris literaturæ allegorias, tropos, & abditissima quæq; mysteria intellexit? Quis porrò quantumuis doctus potuit perfectè absq; animi munditia, & repurgata cordis acie, superna conspicere, & dei intima contẽplari? Nulli sanè vnquam ad sacras literas factus est aditus, nisi infrenes animi affectus, & carnis lasciuiam domuerit. Nec poterimus absque integerrima vitæ sanctimonia, & puritate animi, cantare Canticum Canticorum, *& dicere, Osculetur me osculo oris sui.* Cantic. 1.
Metiamur vires nostras, & diligenti studio, ac tota ingenij acrimonia, expendamus si pondus huiusce lectionis arduissimum ferre possimus. Si recta prius bene viuendi institutione, & sanctissimis honestæ vitæ legibus, animum adparatum & instructum habuerimus. Si denique sedatis animi affectibus, res humanas & caduca quæque, optimis Ecclesiastæ *monitis contempserimus. Nobis siquidem exploratum esse debet, spiritum sanctum, secundum mensuram vasculorum, dulcissimum suæ sapientiæ liquorem transfundere, nec quempiã non consummatum moribus, accersere ad audienda* Cantici Canticorum *mysteria. Scire enim nos oportet, q; quemadmodũ puerilis ætas nullo rerũ excellentissimarũ amore pellicitur, ita nec ad capiendũ sublimem hanc philosophiã admittũtur: qui lacte in* Christo *alũtur, nec elatis fit ingressus, nec etiam stupidis sternitur* 1. Corinth. 3.
via, sed dũtaxat ingeniosis, & his qui solido cibo vescuntur. in verbis enim Cãtici Cãticorum, *ille cibus est, de quo dicit* Apostolus, *Perfectorum autẽ est solidus cibus, & ta-* Hebr. 5.
les requirit auditores, qui exercitatos habent sensus, ad discernendum bonũ & malum.

Quòd si paruuli ad hæc intelligenda veniant, vix proficere poterunt: & qui carnis vitia, ac animi sordes sectantur, si huc venire cōtenderint, plus sentiēt detrimenti, quàm commodi. nesciens enim audire castis auribus, amoris nomina, ab interiori homine ad exteriorem & carnalem virum, omnem deflectet auditum, & à spiritu conuertetur ad carnem, nutriétque in semetipso concupiscentias carnales, & occasione diuinæ scripturæ ad libidinem carnis commoueri videbitur. Qui igitur ventri seruiunt, neque à suis incompositis affectibus abscesserunt, à sacra huiusce difficillimi operis lectione tempe rent. Nec absurdè dixerunt Hebræi, nulli licere hunc libellum suis contrectare manibus, nisi tricesimum annum impleuerit, & ad ætatem perfectam, ac maturam peruenerit, vt authore Hieronymo, in proœmio Ezechielis, ad perfectam scientiā, & mysticos intellectus, plenum humanæ naturæ tempus accedat. Quādoquidem moris est apud eos, omnes scripturas à doctoribus & sapientibus tradi pueris, simul & eas quas δευτερώσεις appellant, ad vltimum tamen quatuor ista reseruari, id est, Principiū Genesis, in quo mundi creatura describitur: & Ezechielis prophetæ principia, in quibus de Cherubim refertur: & finem, in quo templi ædificatio continetur: & hunc Cantici Canticorum
Origenes. Hieronym. librum. Existimat Origenes (qui authore Hieronymo, cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit) Epithalamium libellum, id est nuptiale carmen, in modum dramatis à Salomone conscriptum esse, quem cecinit instar nubentis sponsæ, erga sponsum suum, qui est sermo dei, cælesti amore flagrantis. adamauit enim eum siue anima, quæ ad imaginem eius facta est, siue Ecclesia, & hic magnificus atque perfectus spósus, animæ & ecclesiæ est cōiunctus. Intellige cursim, Drama dici multarum personarum cantilenā, vt in scenis agi fabula solet, vbi diuersæ personæ introducuntur, & alijs accedentibus, alijs etiam discedentibus à diuersis & ad diuersos, textus narrationis expletur. Quæ singula suo ordine scriptura hæc continet, totúmque corpus eius, mysticis formatur eloquijs. Ad scopum coniunctionis & amoris Ecclesiæ ad suum
1.Corint.13. sponsum, contendit hæc Salomonis sapientia, & ad charitatem quæ omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, & omnia tolerat, huiusce secretioris doctrinæ mysteria referuntur. Hunc denique amorē, quo aduersus diabolum luctamur, loquitur præsens scriptura, quo erga filiū dei, anima beata inflāmatur, & istud Epithalamij carmen, per spiritum canit, quo Ecclesia sponso cælesti Christo coniungitur. Et in hoc diuinissimo ope-
1.Corinth.2. re loquitur Salomon sapientiam inter perfectos in mysterijs abscōditam, amorē subinde cælestium, diuinorúmque desiderium, incutit animæ, sub specie sponsæ, ac sponsi, recta charitatis & amoris semita, docens perueniendum esse ad dei consortium. Et eo filo sua cōnectit studia, eo denique artificio, vt Prouerbia, in quibus moralis tractatur philosophia, ad Ecclesiasten inflexerit: Ecclesiasten verò, in quo naturalem agit philosophum, ad contemplatiuam, siue theoreticam Cantici Canticorum philosophiam perduxit, quæ pulcherrimis allegoriarum floribus decorata, & multis inuoluta mysterijs, docet ad æterna & perpetua properandum esse. Ideo primas dignitatis partes, etiā in nouissimo loco, obtinet hic liber, ad quem nemo peruenit, nisi & moribus fuerit defæcatis, & rerum corruptibilium scientiā didicerit. Sed nunc de operis inscriptione loquemur, ne

in portu videamur impingere. Inſcribitur Canticum Canticorum, *nec ſolum* Canticum *appellatur, ſed* Canticorum *canticum, & omnium excellentiſſimum. & hoc ſimile eſt illis, quæ in tabernaculo teſtimonij appellantur ſancta ſanctorum, & illis, quæ in libro* Exo.26.&36 *numerorum memorantur opera operum, quæque apud* Paulum *dicuntur, ſecula ſeculorum.* & hebræo.9. Cantica *ſunt illa quæ dudum per prophetas, vel per angelos canebantur: lex enim dicitur per angelos miniſtrata in manu mediatoris.* Illa *ergo omnia quæ per illos* Galat.3. *annuntiabantur, cantica erant per amicos ſponſi præcedentia. Iſtud verò vnum canticum eſt, quod ipſi iam ſponſo ſponſam ſuã ſuſcepturo* Epithalamij *ſpecie erat canendum, in quo ſponſa non adhuc per amicos ſponſi cantari ſibi vult, ſed ipſius iam ſponſi præſentis audire verba deſiderat, dicens:* Oſculetur *me oſculo oris ſui: vnde & omnibus canticis merito præfertur.* Videntur *enim cætera cantica, quæ lex & prophetæ cecinerunt, paruulæ adhuc ſponſæ, & quæ nondũ veſtibula maturæ ætatis ingreſſa ſit, decantata: hoc vero canticum adultæ, & iam valde robuſtæ, & quæ capax ſit iam virilis potentiæ, perfectiq́ myſterij, decantari videtur, ſecundum quod dicitur de ipſa,* Quia *vna ſit perfecta columba, quæ ſi perfecta, ergo & perfecti viri ſponſa, perfectæ ſuſcepit verba doctrinæ.* Primum *ergo canticũ cecinit Deo* Moyſes, *& filij* Iſrael, *quando viderũt* Aegyptios *mortuos ad littus maris, & quandò viderunt manũ fortem, & brachium excelſum domini, & crediderunt deo, & famulo eius* Moyſi, *tunc cantauerunt, dicẽtes,* Cantemus *domino, glorioſe enim honorificatus eſt.* Nec *quis poteſt ad per-* Exod.15. *fectum iſtud & myſticum canticum peruenire, niſi prius ambulet per ſiccum in medio mari, & fiat ei aqua murus à dextra læuáq́, & ſic euadat de manibus* Aegyptiorum, *ita vt videat eos ad littus maris mortuos, intuens manum fortem domini, qua interfecit* Aegyptios, *credat domino & famulo eius* Moyſi, Moyſi *autem dico legi atq́* Euangelijs, *omnibúſque diuinis ſcripturis. tunc enim merito cantabit & dicet,* Cantemus *domino, glorioſe enim honorificatus eſt.* Iterum *ſecundum canticum canet, cum exierit de valle* Zareth, *quod interpretatur aliena deſcẽſio, & venerit ad puteum, de quo ſcriptũ eſt,* Et *dixit dominus ad* Moyſem, Congrega *populum, & dabo ei aquam de puteo bi-* Numer.21. *bere.* Ibi *enim cantabit & dicet, initiate ei puteũ, foderunt illum principes, excuderunt eum reges gentium in regno ſuo, cum dominantur eorum.* Poſt *illud canticum venitur ad* Deuteronomij *canticum, de quo dicit dominus,* Et *nunc ſcribite vobis verba cantici* Deuter.31. *huius, & docete illud filios* Iſrael, *& inijcite illud in os eorum, vt fiat mihi canticum iſtud ad teſtimonium in filijs* Iſrael. Quartum *canticum eſt in libro* Iudicum, *de quo ſcriptum eſt,* Et *cantauit* Debbora *&* Barac *filius* Abinoen *in die illa dicẽtes, incipien-* Iudicum 5. *do,* Principales *in* Iſrael *in propoſito populi benedicite dominũ.* Audite *reges auribus, percipite ſatrapæ, &c.* Hæc *autem quæ canit, apis eſſe debet, cuius opus tale eſt, vt eo reges & mediocres vtantur ad ſanitatem.* Debbora *nanq́ apis interpretatur, quæ iſtud canticum canit: ſed &* Barac *cum ipſa, interpretatur autem* Barac, *coruſcatio.* Et *canitur iſtud canticum poſt victoriam, quia nec antè quis poteſt, quæ perfecta ſunt canere, niſi vbi aduerſarios vicerit. ſic denique & in ipſo* Cantico *dicitur,* Exurge, *exurge* Debbora, *exuſcita millia populi.* Exurge, *exurge, cane canticum, exurge* Barac. Quin-

2.Regū.22. tum post hæc, canticū, est in secūdo lib. regnorum, cum locutus est Dauid ad dominū verba Cantici huius, in die qua liberauit eum dominus de manu omniū inimicorū suorum, & de manu Saul, & dixit, Dominus mihi petra & munitio mea, liberator dominus
1.Paralip.16 deus meus custos erit mihi. Sextū est canticum in primo Paralipomenon libro, vbi constituit Dauid in principio ad laudandum dominum, Asaph & fratres eius, & est initium cantici istud tale, Laudate dominum & confitemini, & inuocate eum in nomine eius, notas facite in populis voluntates eius, canite ei, & hymnum dicite, narrate omnes adinuentiones eius, quas fecit dominus. Septimū locum obtinet Canticum Canticorum, rei dignitate quam pertractat, excellentissimum, & ex quinque canticorum milibus selectum. Locutus est enim Salomon tria millia Parabolarū, & erant cantica eius quin-
3.Regū.4. que millia, ex quibus hoc vnum habemus præstantissimum, in quo venustissimus ecclesiæ candor, & illibata puritas exprimitur. Nec rerum sensilium verbis, quæ hic proferuntur, & corticibus hæreas, sed tutò credas sub velamentis rei corporeæ & inuolucris, diuina latere mysteria, & amoris corporei specie, spiritalem sponsæ erga suum sponsum charitatem adumbrari, & hoc canticum sacris consecratum esse nuptijs. Idcirco dicit
Gregorius. beatus Gregorius, in præfatione huius operis, hoc canticum, tanto cæteris canticis sublimius esse, quanto nuptijs sublimioris fæstiuitatis offertur.

ARGVMENTVM PRIMI CAPITIS
Cantici Canticorum.

Desiderat Ecclesia casto sui oris osculo Christum exosculari, & ardentissimo æstuat affectu, pudicū sui sponsi suauiolū recipere, sperat & pulcherrima ab eodem, sponsaliorum & dotis munera se habiturā: & eo sui nobilissimi sponsi amore tenetur, vt nō cesset interpellare Deum, donec osculis eius perfruatur, cuius vbera censet fragrantius spirare quàm optima vnguenta, nec quicquam arbitratur fragrantissimo eius odore odoratius esse, à cuius amplexibus nusquam vult dimoueri. Iucundius exhilarescit, quòd mirè suo venustissimo sponso placeat, & planè agnoscat, floridum sui candorem illi esse quàmgratissimum.

OSculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te: curremus in odore vnguentorũ tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua. Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Recti diligunt te. Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me sol. Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Si ignoras te o pulchra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorũ. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum, sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argẽto. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

OSculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. *Aestuat sponsa suauissimis sui sponsi osculis perfrui. Veruntamen ardentissimo sui sponsi amore delinita, dolet eum plurimo tempore moram protrahere. Interim tamen assiduis precationibus deum orat, sciens eum esse patrem sui sponsi, & sanctas manus sine ira, obmurmuratione, & querela in deum eleuat. incedit pudico habitu ornata, verecunda, sobria, & nobilissimis illustrata ornamẽtis, quibus decet nobilem sponsam exornari: & mirum in modum cupit castis auribus audire verba sui sponsi, dicens: Osculetur me osculo oris sui. optat & à Christo offensam, quam apud deum, homines peccando contraxerant, extingui: & pacem inuenire, in qua, dum essemus deo patri inimici, per filium eius reconciliamur. nec pudet Christum nos exosculari, si mœrore & lachrymis nostræ miseræ vitæ confecti, & lugubri pœnitentiæ sacculo vestiti, ad eum redierimus: quandoquidem pater ille clementissimus, filium prodigum, quem decocti patrimonij pœnituit, benignè exosculatus est.* Luc.15. *Spiritalem tamen amplexando intelligentiam, hæc loquitur* Ecclesia, *& dicit:*

Origenes. *Omnia habeo, repleta sum muneribus, quæ sponsaliorum vel dotis titulo, ante nuptias sumpsi. Dudum enim, cum pararer ad coniugium filij regis, & primogeniti omnis creaturæ, obsecuti sunt, & ministrauerũt mihi angeli sancti eius, deferentes ad me legẽ, loco sponsalis muneris: ministrauerũt mihi etiam prophetæ, & indicarunt mihi de filio omnia, cui me delatis arris & muneribus dotalibus, spondere cupiebant. Verùm vt in amorem eius me succenderent, pronuntiauerunt mihi propheticis vocibus, de aduentu eius, & de innumeris virtutibus, operibúsq; eius immensis, repleti spiritu sancto, prædicauerunt: pulchritudinem quoq; eius, & speciem, ac mãsuetudinem, descripserunt: ita vt omnibus his, ad amorem eius integrè inflãmarer. sed quoniam seculum iam penè finitum est, & ipsius quidẽ præsentia non datur mihi, solos autẽ ministros eius video ascendentes & descendẽtes ad me, propter hoc ad te patrem sponsi mei, precem fundo, & obsecro, vt tandem miseratus amorem nostrũ, mittas eum, vt iam non mihi per ministros suos angelos duntaxat & prophetas, loquatur, sed ipse per semetipsum veniat, & osculetur me osculo oris sui, verba scilicet in os meum, sui oris infundat, ipsum audiam loquentẽ, ipsum videam docentem. Hæc sunt Christi oscula, quæ porrexit Ecclesiæ, cùm in aduentu suo ipse Christus in carne positus euangelizauit ei verba fidei, & charitatis, & pacis, secundũ quod Esaias promiserat, & præmissus ad spõsam dixerat:* Non

Esa.33.& 35. *legatus neq; angelus, sed ipse dominus saluabit nos.* Hæc Origenes. Et eadẽ possumus de sãcta anima interpretari, quæ tametsi ab antiquis legis Mosaicæ doctoribus, & ab oraculis propheticis, instituta fuerit, & primũ crassa cognitione erudita, quia tamen illorum institutis non fuit satiata, expetiuit à Christo, & ab vberrimo Euãgelij fonte cælestem haurire sapientiam, & in eo sua proluere labra, & confugit ad illum qui mentis tenebras depellit, animũ illustrat, obscura discutit, enodat perplexa, inuoluta dissoluit, parabolas & ænigmata sapientũ, rectis intelligentiæ lineis explicat, à quo oscula verbi dei, diuinæq; philosophiæ, recipit. Hoc sponsi osculũ, intelligamus virtutem dei, quæ

Angelomus illuminat mentem, & ad se rapit. Dicit Angelomus hunc edisserens locum, hoc, Salomonem prætendisse, *tangat me dulcedine præsentiæ suæ, quam sæpius à prophetis promissam audiui.* Vnde & de eodem sponso in Euangelio scriptum est, cum sederet in monte,

Matth.5 & sublimium præceptorum verba faceret, Aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Hunc autem excellentissimum doctorem, debemus attentè audire, quod testatur vox illa dei patris de nube demissa:

Matth.17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et Ioannes Baptista præco domini, ex multis sponsi amicis præparauit sponsam Christo adhærẽtem.

Ioan.3. Qui habet, inquit, sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eũ, gau

Gregorius. dio gaudet, propter vocẽ sponsi. Gregorius hãc eandem Salomonis sententiam explicãs, dicit: Os sponsi, esse inspirationem Christi: osculum verò oris, dulcem inspirationis amorem. Dicit ergo sponso, desiderio æstuans, & in amplexum sponsi sui inardescens: Osculetur me osculo oris sui. Ac si diceret, ille quem super omnia, imò solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis, me tãgat. Nec prætermittam quæ ad hunc locum dicit

Bernardus. beatus Bernardus sermone 2. Non audio iam Moysem, impeditioris siquidem linguæ

factus es mihi: Esaiæ labia immũda sunt: Hieremias nescit loqui, quia puer est, & prophetæ omnes, elingues sunt. Ipse ipse quem loquuntur, ipse loquatur, ipse me osculetur osculo oris sui. Augustinus libro vno de amicitia, capite 6. hunc proferens locum, dicit ad eius explicationem, osculum esse & corporale & spiritale. Osculum corporale, fit impressione labiorum, quod non est ostendendũ, nisi certis & honestis horis, vt in signum reconciliationis, quando fiunt amici, qui fuerunt inimici: in signum etiam dilectionis inter sponsum & sponsam fieri permittitur. vel sicut ab amicis post diuturnam absentiam & porrigitur & suscipitur. Porrò osculum spiritale propriè amicorum est, qui sub vna lege amicitiæ tenentur. non enim fit oris attactu, sed mentis affectu: non coniunctione labiorum, sed commixtione spirituũ. Hæc ille. Exclamat igitur spõsa à suo sponso tanquam à Paranympho edocta, & cælesti illius pulchritudine accensa, dicit: Osculetur me osculo oris sui. Sunt autem hæc oscula spiritalia, vt dicit Philo, episcopus Carpathius, vir sanè eruditus, qui ad Augustini sententiam propemodum accedit. Nec verisimile est Ecclesiam desiderasse carnea & corporea sui sponsi, scilicet Christi oscula, sed spiritalia, quæ sunt purissima, castissima, sanctissima, planéque diuina atque cælestia, nihil prorsus carnale habentia, nec corruptibile, nihil turpe, nihil obscœnum, sed honestissima omnia, quæ tam longissimè cuncta carnis oscula superant, quàm lux tenebras, quàm vita mortem, quàm sempiterna, peritura. Et consultò quærit castissima hæc sponsa, suauissimum sui sponsi osculum. Nam excellentiora sunt, & dulciora huius mundissimi sponsi oscula, & vbera, vino etiam sapidissimo, & odoriferis vnguẽtis. Horum enim odor, breuissimo tẽpore decidit & arescit, nec perpetuo oblectare potest: odor verò cælestis philosophiæ, & Euangelici vnguenti, quod illustrissimus hic sponsus, nobis impartitus est, nulla temporum incuria, nullo rerum humanarum lapsu emoritur, & perit, sed eundem odoratissimum spiritum, quouis aromatum spiritu leniorem spirat, & emũctissimas sapientum nares ad se pellicit, synceram Christianorum mentem reficit, & benignitate suæ gratiæ valetudinarios sanat. Et licet sponsa conferat vino vbera, ita tamen confert, vt præferat. Vinum autem, intelligenda sunt illa dogmata & doctrinæ, quas per legem & prophetas ante aduentũ domini, sumere spõsa consueuerat. Sed nũc considerans hanc doctrinam, quæ ex vberibus sponsi profluit, miratur & stupet, videns eam longè præstantiorem illa, ex qua ante aduentum sponsi, lætificata fuerat, tanquã ex vino spirituali, quod sancti patres ministrabant, qui huius generis plantauerunt vineas, vt Noe primus, & Esaias in cornu, in lo[illegible] vberi, & coluerunt eas. De hoc antiquorum vino, intelligendum est illud Ecclesiastæ, vbi ait, Dixi ergo in corde meo, vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis. Et de vineis loquens, dicit, Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos & pomeria. Et tantam habet Christus potestatem in vinũ & in aquam, vt ex aqua possit vinum optimum efficere, quod factum est in Cana Galilææ. Vinum tamẽ, quod è vinea Sodomorũ, & palmitibus Gomorræ profluxit, reijciendum est. Ideo laudantur Rechabitæ, quòd cũ eo tempore, quo peccata populi inualuerant, & pro iniquitatibus plebis, captiuitas imminebat, conuocati essent vt biberent vinum, obsequentes patri suo Ionadab, noluerunt

Exod. 4. Esaiæ. 6. Hiere. 1. Augustinus. Philo. Ecclesiast. 2. Ioan. 2. Hiere. 35.

bibere. Vino tamen cælesti si quis inebriatus fuerit, nunquã malè habet, nullum deniq; incurrit morbum: & quò magis eo inebriamur, eò melius habemus, magísq; deo coniun-
Act.2. gimur. Et hoc nectare & spirituali musto, perfusi sunt & inebriati Apostoli in festo die Pentecostes. Nec ineruditа sunt, quæ ad hunc locum edisserendum dicit Iustus Episco-
Orgelitanus pus Orgelitanus, vbera Christi, Apostolos & Euangelistas appellari, per ipsos enim in fide nutrimur, & spirituali alimento reficimur. Idcirco autem meliora vino probãtur, quia Euangelica doctrina eminentior quàm lex olim data, dinoscitur. Nec iugum legis iugo Euangelij conferendum est. Deniq; illic figura, hic veritas, illic tanquam austeritas vini, diligẽdum tantummodo proximum, & inimicum odiendum ostendit: hic dulcedo gratiæ, pro inimicis orandũ, & eos qui nos oderũt admonet diligendos. Ipsa quoq;
Matth.5. Christi vbera, ipsos Apostolos vnguentis optimis fragrantia declarat, quia tãtis virtutibus, tantísq; enituere miraculis, vt odor iustitiæ eorum, longè latéq; diffusus, tunc intuentes oblectaret, & huc usq; omnes reficiat audiẽtes, sicut vnus ex ipsis pronũtiat,
2.Corinth.2 dicẽs, Deo autem gratia, qui semper nos triumphat in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat in omni loco pro nobis. Possunt & hæc Salomonis verba, adaptari inculpatissimæ virgini Mariæ, quæ suis vberibus lactauit filium Dei, quibus omniũ vnguentorum & aromatũ fragrantia cedit. Illa siquidem suo pudicissimo ventre & hospitiolo, excipiens dei Verbũ, meruit ab omnibus coli, nec illi sacrificium offertur, quod non in gloriam sui filij, & maximam Ecclesiæ vtilitatem redundet. Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Nullũ est oleum materiale, quod huic sacro lætitiæ oleo, conferri possit. Hoc autem oleum, est spiritus sancti vnguentum, quo vnctus est Christus, & cuius nunc odorem percipiẽs sponsa, admirata est oleum letitiæ, quia fructus spiritus, gaudium est, & hoc prætendit Dauid, dicens,
Psalm.44. Vnxit eum dominus deus suus oleo lætitiæ præ participibus suis. Et futurum erat vt pretiosissimum Christi oleum, eiúsque nomen per totum terrarum orbem diffunderetur,
2.Corinth.2 vt fieret odor suauitatis in omni loco, sicut & Apostolus dixit, Quia Christi bonus odor sumus, in omni loco. Alijs quidem odor ex morte in mortem, alijs autem odor de vita in vitã. Nec hoc oleum effusum, dilexerũt sordidæ vetulæ, & quæ rugas habent, & indelebiles macularum næuos, sed adolescẽtulæ, quæ sacro baptismatis fonte repurgantur, & nouum induunt hominem, aut quæ synceram Christi fidem profitentur, vt
Mat.9.& 15 mulier illa quæ sanguinis fluxũ patiebatur, & Chananæa: illæ sanè Christum vehemẽter dilexerunt. qui deniq; à Christo christiani nominãtur, hoc sacro olei chrysmate per-
Rom.5. uncti, & fragranti spiritus sancti vnguẽto repleti, cum Apostolis dicunt, Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Trahe me post te, curremus in odore vnguentorum tuorum. Quoniam non potest Ecclesia, neq; electi anima, suo solo conatu ad cælestia anhelare, neq; Christo adhærere, ideo sponso dicit: Trahe me, quòd si me ad te pertraxeris, olfaciã odorem tuorum vnguentorum, & in me sentiam fragrantissimum tuæ gratiæ odoramentum. co-
Ioan.6. hærent & hæc Euangelicæ philosophiæ, in qua dicit Christus: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eũ. attrahitur ad Christum, qui credit Christo, illi

vero currunt post eum, qui eum imitantur, vel qui dono ipsius, ipsum sequendo proficiunt. nec tamen, ne putes peremptū esse liberum arbitrium, trahitur homo ad Christum, nolens, aut more pecudum adigitur, quæ dicere non possunt, trahe me post te. anima enim quæ dicit trahe me post te, nonnihil habet vigoris & alacritatis, vult enim comitari Christum, sed infirmitatis consuetudine superata, sicut debet sequi, non prævalet. spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. mens nititur imitari dominum, sed carne præfocata, succumbit plerunq;. quod pulchrè expressit Paulus ad Romanos, dicens: Mente seruio legi dei, carne autem legi peccati. Matth.26. Introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum, super vinum, recti diligunt te. Roma.7. *Ostendit Salomon propensissimum & maxime beneuolum sponsi erga suam sponsam animum, quam non solum ad se attraxit, verumetiā introduxit in sua cellaria & regiū cubiculum, vt ibi videret cūctas opes regias, & hoc munere exultat, quòd secreta regis & arcana prospexerit, & hoc ad historicam explanationem spectat. Altius locum hunc speculando, dicimus Christum introduxisse Ecclesiam suam, in promptuarium dei, diuinæq; sapientiæ, cui arcana mysteria reuelauit. Paulus in secretissimum hoc cubiculum introductus, dicebat: Nos autem sensum Christi habemus, vt sciamus quæ à deo donata sunt nobis, hæc autem illa sunt, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit deus his qui diligunt eum. introducuntur & in hoc cubiculum illi, quibus datum est, nosse mysteria regni cælorum, Matth.13. Et Ecclesia in hoc cubiculum introducta, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ absconditi, multa didicit sacramenta, & res arduas nostris imperuias oculis. & hæc est regina de qua dicitur, Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietatibus. hanc autem comitantur adolescentulæ, de quibus dicitur: Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius adducentur tibi, adducentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis, & gaudent plurimum cum in magnificum regis cubiculum vnà cum sponsa intromittuntur, & simul exultant cum sponso & mire oblectantur, cui congratulando existimāt eius vbera, à quibus profluunt fontes cælestis sapientiæ, dulcedine vini & humanioribus literis esse præstantiora, & nihil arbitrantur esse optabilius, nihil maius, nihil deniq; eligibilius syncera & perfecta sponsi dilectione, in qua est summa totius humanæ perfectionis. Quòd si quis diligat Christum, sermonem eius seruabit, qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas dei perfecta est, & æquissimi sunt viri qui diligunt Christum, impii vero & impudentissimi, neq; mandata eius custodiunt, neq; eum diligūt.*

1.Corint.2. Esaiæ 64. & 1.corinth.2. Matth.13. Coloss.2. Psalm.44. Ioan.14. 1.Ioan.2.

Nigra sum sed formosa filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. *Ne existimetis filiæ Hierusalem me esse fœdissimam, & indecora nigredine obscuratam, nec vsqueadeo vestram iactetis pulchritudinem, vt mihi exprobretis culpam coloris. fateor me esse nigram, si extraneum duntaxat colorem inspexeritis: nec tamen indecora est mea nigredo, quam eximius virtutum candor illustrat. sum etenim internis membrorum liniamentis formosa, elegans & candida. Quandoquidem vestri corporis candor, mihi videtur esse persimilis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent homini-*

Matth.23. bus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. sed altius hic latent Ecclesiæ ex gentibus congregatæ mysteria, quæ in hanc scenam introducitur, alloquens superbam Iudæorum synagogam: Nigra sum, attamen formosa, tibi videor nigra, quòd non ex stirpe regia & claris parentibus duxerim originem, nec ex electis Abrahæ filijs descenderim, à quibus regiam tui ortus nobilitatem vendicas, & antiquis Mosaicæ legis institutis, immodicè confidis, sum tamen pulchra & speciosa, & benignitas Christi & gratia, cui confido, cui innitor, à quo tota meæ salutis spes pendet, meæ obscuratæ mētis tenebras expulit, meámq; nigredinem pulcherrimus Euangelij candor exornauit. Quanuis enim pro coloris obscuritate me conferas tabernaculis Cedar, quæ est gens admodum nigra, imò ipsa nigredo, & nigerrimis Salomonis pellibus, tamen & Cedar ex Ismaele descendit. secundo nanque loco ex Ismaele natus est, qui Ismael non
Gene. 17. & 21. & 25. fuit expers diuinæ benedictionis, & pelles Salomonis quæ nunquam tāto regi in omni gloria sua visæ sunt indecoræ, non sunt aliæ quàm pelles tabernaculi dei. Fertur Salomon quando ædificauit templum, omnia vasa templi pellibus cooperuisse, & quia erant aptæ tabernaculo, idcirco non erāt indecoræ: & filiæ Hierusalem quomodo non meministis quod in lege vestra scriptum est, quid passa sit Maria, quæ derogauit Mosi, cum
Numer.10. Aethiopissam nigram accepisset vxorem? quomodo ignoratis illius imaginis adumbrationem in me nunc veritate compleri? Ego sum illa Aethiopissa, ego sum nigra quidem pro ignobilitate generis, formosa vero propter pœnitentiam & fidem. Confugi ad eum qui pœnitentis commiseretur, nec quenquam delicti dolore compunctum reijcit. quid igi
Rom.2. tur mihi improperatis à peccato resipiscenti? quid gloriamini in lege, & per præuaricationem legis deū inhonoratis? Nónne regina Saba deo placuit? quæ venit à finibus terræ audire sapientiā Salomonis, & lubenter audiuit nomen Salomonis & nomen domini, & vbi primū à sacris sapientiæ fontibus saluberrima bene viuendi præcepta exhausit, di
3.Regū.9. xit Salomoni: Beati serui tui qui hic stant corā te semper, & audiūt sapientiam tuā. sit dominus deus tuus benedictus cui complacuisti, & posuit te super thronū Israel, eò quòd dilexerit dominus Israel in sempiternū, & cōstituit te regē vt faceres iudiciū & iustitiam.
Matth.12. Dicit Christus in Euangelio Matthæi, cap. 12. hanc reginam in iudicio condemnaturam Iudæorū generationem malam & adulteram, quòd à vitijs resipiscere noluerit. Hæc autem regina præfigurauit Ecclesiam, quæ venit ex gentibus, audire sapientiā Salomonis veri, & veri pacifici domini nostri Iesu Christi, qui in Euangelio Matthæi maximopere commendans fidem Centurionis, viri quidem gentilis, dicit, Amen dico vobis, non
Matth.8. inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab oriēte & occidente venient, & recumbent cum Abraham Isaac & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentiū. Paulus etiam & Bar
Act.13. nabas dixerunt constanter Iudæis, Vobis oportebat primùm loqui verbum dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gen
Esaiæ 49. tes, sic enim nobis præcepit dominus, Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Syluam ex innumeris prophetarum testimonijs cōficere possemus, ad suadendum gentiles syncera fide & simplicitate animi, deo fuisse gratissimos, sed

quia aliubi amplè de hac re egimus,& nobis visa sunt quæ nunc adduximus, sufficere, ideo supersedemus. Nec tamen prætermittendum censeo,quod dicit Christus de filiabus Hierusalem à recta virtutum semita exorbitantibus, Filiæ Hierusalem,nolite flere super me,sed super vosmetipsas flete, & super filios vestros,quoniam ecce venient dies,in quibus dicent,Beatæ steriles,& ventres qui non genuerunt,& vbera quæ non lactaue runt. Augustinus libro 3.de doctrina christiana,capite 32.pertractans hūc Salomonis locum de sponsa fusca & speciosa,quæ tabernaculis Cedar, & pellibus Salomonis cōfertur,dicit hæc esse intelligenda de tēporali vnitate intra retia piscium bonorū & malorum conclusa. Lucæ 23. Esaiæ 54. Augustinus.

Nolite me considerare quòd fusca sim,quia decolorauit me sol.filij matris meæ pugnauerūt contra me,posuerūt me custodem in vineis. Vineam meam non custodiui. *Sponsa reddit calumniatoribus suæ fuscedinis & nigredinis rationem,quòd scilicet à natura non sit talis,sed à torrentissimo solis ardore facta sit fusca,cui natiuum ademit colorem, Aethiopibus verò naturalis quædam inest,ex seminis carnalis successione,nigredo,quòd in illis locis sol radijs acrioribus ferueat, & adusta iam semel atque infuscata corpora, genuini vitij successione permaneant.Contrarij verò ordinis est animæ nigredo.Nam neq; aspectu, sed despectu solis inuritur:neq; nascendo,sed negligendo conquiritur.& ideo sicut ignauia assumitur, ita & industria repellitur. & quia sol iustitiæ non me inuenit rectè stantem, nec ipse in me rectos direxit lucis suæ radios.Ego enim sum populus gentium qui prius non aspexi ad solem iustitiæ,nec steti ante dominū,& ideo nec ille me aspexit,sed despexit,neque astitit mihi,sed præterijt.cæcitas tamen populi* Iudaici,*cum me pœnituit perperam vixisse,lux mihi facta est.Illos fulgidissimū Christi iubar decolorat,quos vt diuinæ religionis contemptores, despicit: hos verò venustat & colorat, qui præceptis eius promptè obsequuntur.Deinde dicit sponsa,filij matris meæ pugnauerūt contra me, filij quidem,vt volunt nonnulli,synagogæ,qui docentem & arguentem Stephanū mar tyrem lapidauerunt.Et facta est persequutio magna in ecclesia,quæ erat* Hierosolymis, *& omnes fratres dispersi sunt per regiones* Iudææ *& Samariæ.vel illi etiam pugnauerunt aduersus* Ecclesiam, *qui* Paulum *prædicantem in gentibus,per ciuitates singulas persecuti sunt.Aduersantur semper nocentissimi infidelium filij,christianis Ecclesiæ liberis. Nec illorum furor, & furibunda insanies deferbuit, quod concinnè & eleganter expressit* Paulus ad Galatas,dicens,Dicite mihi *qui sub lege vultis esse, legem non legistis?Scriptū est enim, quoniam Abraham duos filios habuit,vnū de ancilla & vnū de libera.Sed qui de ancilla,secundum carnem natus est:qui autem de libera,per repromissionem,quæ sunt per allegoriam dicta.Hæc enim sunt duo testamenta,vnum quidem in monte Sina,in seruitutem generans,quæ est Agar.Sina enim mons est in Arabia,qui coniunctus est ei,quæ nunc est* Hierusalem, *& seruit cum filijs suis.Illa autem quæ sursum est* Hierusalem,*libera est,quæ est mater nostra,sicut scriptum est,* Lætare *sterilis quæ non paris,erumpe & clama quæ non parturis,quia multi filij desertæ magis,quàm eius quæ habet virum:nos autē fratres secundum* Isaac *promissionis filij sumus.Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat,persequebatur eum qui*

Act.7. & 8. Galat.4. Gene.21. Esaiæ 54. Luc.23.

secundum spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberauit. Nec diuersum est huic Salomonis
Matth.10. *sententiæ, quod prædixit Christus in euangelio Matthæi: Tradet autē frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Subnectit Salomon, Posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodiui. Arrogans illa Iudæorum synago-*
Act.8. *ga, quam huiusmodi vineis intelligi velimus, dederat Saulo potestatem, vt quoscunque credentes in Christo reperisset, viros ac mulieres, in custodias traderet vt punirentur, vt dum ista perpetraret, synagogæ vineam custodiret. factus tamen dei misericordia ex Saulo Paulus, & ex persecutore prædicator, amaram illam vineā producentem labruscas, à Iudaismo ad Christianismum deficiens, deseruit, nec amplius custodire voluit. Quidam legunt, filij matris meæ pugnauerunt in me, scilicet Apostoli qui pugnauerunt in ecclesia ex gentibus congregata, aduersus capitales fidei inimicos, vt omnem infidelium aciem destruerent, & muros peruersæ doctrinæ subruerent: Istæ autem vineæ, sunt volumina legis & prophetarum à victis obseruanda, & potissimū cen suerunt Apostoli, qui semper in Christo triumphant, vt ad fidem adducti euangelicam vitem excolerent, qui salutiferæ Christi doctrinæ adhærentes, antiqua Mosis instituta deseruerunt, & meritò quidem. Nam lex illa austera neminem viuificabat, fides autem in Christo sita, & Euāgelij gratia viuificat, & ex iniusto efficit iustum.* Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagarī incipiam post greges sodalium tuorum. *Rursum sponsa suum alloquitur sponsum, dicens, annuntia mihi quem vnicè diligo, & cui integrum mei pectoris corculum deuouerim & penitus addixerim, velim subinde à te rescire, vbi nam pascas in meridie, & vbi colloces gregem tuū, ne incurram in ea loca, vbi sodales tui locatos per meridiem greges seruant. Exposcit & à Christo ecclesia, vt ei locum secreti sui indicet, & quietis, quandoquidem amoris impatiens, etiam per meridiem cupit audire sponsum, eo præcipuè tempore, quo clarior lux, & splendor diei perfectus & purus est, vt assistat ei oues pascenti, vel refrigeranti. Et studiose vult viam discere, qua ire ad eum debeat, ne forte si non fuerit edocta itineris huius anfractus, incurrat greges sodaliū, & videatur esse similis alicui illarum, quæ adopertæ veniunt ad sodales eius, nec pudoris curam gerunt, aut verentur passim discurrere, & multis apparere: ego verò à nullo alio velim videri, quàm à te solo. Indica igitur mihi quónam recto itinere ad te contendā, nec peregrinos requiro & arbitros, & media quorundam subsidia, qui me ad secreta tui cubiculi perducant, tu solus potes occulta tuæ arcanæ disciplinæ mysteria mihi detegere. fac igitur ne à rusticis & indoctis pastoribus quæram consilium. vererer sanè ne mihi cæcus dux esset, & ambo in foueam incideremus. Oues tuæ lubenter tuam vocē audiūt, nec quicquam habent commercij cum mercenario, nec cum illis qui potius tuam expilant ecclesiam & deprædantur, quàm augeant, & suis studijs illustrēt: & mihi pergratum erit tecum cubare in meridie, qui mundum vniuersum tuo fulgore perfundis, &*

in spiritu feruentibus quiescis, nec sinas tuam animulam tibi credentem cœlesti lumine priuari, quam si non illustraueris, per deuios tramites oberrãdo, in manus hæreticorum incidet. Hanc igitur mihi largire gratiam, vt non diuager per vagos sodalium greges, qui cum habeant formam pietatis, virtutẽ tamen abnegant. Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorũ, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorũ. *Laudatur à Græcis præclara illa Chilonis sententia:* Noscito teipsum, *qua monemur, vt agnoscamus à quo beneficia consequuti sumus, ne detestanda ingratitudinis nota intabescamus: denique expendamus diligẽti studio, infirmas nostri ingenij vires, ne arrogãtia & mentis elatio, nos suis transfigat sagittis. Et cũ in alios animaduertere volumus, intueamur si ea culpa caruerimus, quam in alijs accusamus, aut corrigere volumus, ne illud nobis impingatur & obijciatur,* Vides in oculo tui fratris festucam, in tuo verò trabem non inspicis. *Et qui prædicas non esse furandum, furaris, & quo iudicio alium iudicas, teipsum condemnas. noli igitur iudicare, vt non iudiceris.* Hæc verò *sub comminatione proponũtur animæ, tan quã mulieri spectanda,* Nisi cognoueris temetipsam ô pulchra inter mulieres, & agnoueris tuæ pulchritudinis causam, quòd scilicet ad imaginem dei facta sis, per quod tibi plurimum inest natiui decoris, iubebo te egredi & abire, & in vltimis gregum vestigijs collocari, nec amplius meas pasces oues, sed hœdos, qui pro petulantia & petulanti lasciuia, à sinistris stabũt in iudicio: & licet occulta meæ sapientiæ mysteria, tibi aperuerim, si tamen nõ cognoueris temetipsam, & ignorãtia tui vixeris, ostendã quæ nam te manebũt supplicia, vt ex vtroq; proficias, tam malorũ metu, quàm bonorum desiderio: hæc sufferes mala, donec experimẽto didiceris, quantũ damni sit, animã nescire seipsam, neq; pulchritudinẽ suam, qua cæteris longè præcellit. *Et duplici modo potest anima sui agnitionẽ capere. Quid quidẽ sit ipsa, & qualiter moueatur, id est, quid in substãtia, & quid in affectibus habeat. vtputa vt intelligat si boni sit affectus, aut nõ boni, aut recti propositi, aut nõ recti. & si recti sit, si nam erga omnes virtutes eundem tenorẽ habeat, tam intelligendo quàm agẽdo. Si verò agnoscat seipsam, quòd nõ sit boni affectus, neq; recti propositi, in hoc ipso vt intelligat vtrum ei satis desit, & procul à via virtutũ sit, an in ipso iam posita sit itinere, & incedere iam conetur, cupiens quæ antè sunt, apprehendere, & quæ retro sunt, obliuisci: agnoscat deniq; põdus sui sceleris, an studio & dedita opera, an verò fragilitate aut ignorãtia sit lapsa, & studeat celerius quàm poterit à malo resipiscere. Agnouit semetipsam mulier illa, à qua Christus septem eiecit dæmonia, curauit enim profluentibus lachrymis irrigare pedes saluatoris, & suis capillis abstergere. Nouit & semetipsum bonus latro, qui suo socio dicebat,* Nos digna factis recipimus, hic verò nihil mali admisit, *& ne in pristino sui peccati luto versaretur, moriturus, dixit Christo,* Memento mei domine, dum veneris in regnũ tuũ. *nec sanè illius oblitus est Christus, sed dixit ei,* Amen dico tibi, hodie mecũ eris in paradiso. *Miserrimus ille proditor, sui oblitus, vitam laqueo finiuit, & suspensus crepuit medius, & effusa sunt eius viscera, & cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, & sordido auaritiæ studio occæcatus, à dei gratia excidit.* Equitatui

Marginal notes: 2. Timoth. 3 · Matth. 7. · Roma. 2. · Matth. 7. · Matth. 25. · Marc. 16. · Lucæ 7. · Lucæ 23. · Act. 1. · Psalm. 48.

meo in curribus Pharaonis assimilaui te anima mea. *Historiam primò explicabimus, deinde mystica eloquia. Sicut, inquit, tunc in Aegypto, cum Pharao persequens populum Israel, processit in curribus & equitatu, & meus, hoc est, domini mei equitatus, longè præcellebat currus Pharaonis, quòd illos superauerit, & in mare demerserit, ita & tu proxima mea sponsa, præcellis omnes mulieres, similis effecta equitatui meo, qui Pharaonis curribus comparatus, potentior vtiq; est & magnificentior. Secundum mysticam intelligentiam, animas quæ sub illo spirituali Pharaone, & sub illis spiritualibus nequitijs, positæ sunt, dicit esse currus Pharaonis, & quadrigas eius, quas ipse agit, & ducit ad persequendum populum dei, & ad opprimẽdum Israel: certum enim est, quòd tentationes & tribulationes, quas excitant dæmones sanctis, per animas aliquas excitant, ad hoc ipsum aptas & conuenientes, quibus tanquam curribus accensis, exagitant Ecclesiam dei, & singulos quosq; fidelium. At sunt equi domini quibus ascendit, & equitatus eius, sanctæ animæ, quæ frænum disciplinæ eius accipiunt, & iugum portant suauitatis eius, & quæ spiritu dei aguntur, & in hoc est eis salus. Et equis albis, quibus vehitur verbum dei, facit Christus suam Ecclesiam similem, vt quantum hic domini equitatus, equitatum & currus Pharaonis euincit & præcellit, tantum tu, quæ pulchra es in mulieribus, præcellis omnes reliquas animas, quæ adhuc iugum Pharaonis portant, & sessores eius patiũtur. vel quòd equitatus hic meus, qui lauacro aquæ mundatus, effectus est purus & candidus, & verbum dei meruit habere sessorem, ex curribus Pharaonis assumptus est, inde enim omnes veniunt credentes, quia Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. De istis equis loquitur Abacuc propheta, dicens:* Nunquid in fluminibus iratus es domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua? qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ salus: *quos equos, accipimus Apostolos & Euangelistas. ideo Christus loquitur ad ecclesiam,* Tunc equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, *cum sapientes mundi, ad meam fidem euocandos conuerti, vt deposito tumore seculi, sub me, qui sum salus vera, currendo proficiant, & dum operibus dæmoniacis deseruires, te assimilaui equitatui meo, vt quidam volũt, sed per prædestinationem, & equis meis, postquam resipuisti, te contuli, & qui nũc superbiæ, arrogantiæ, luxuriæ, inuidiæ, & auaritiæ obseruiunt, adhuc sub curru Pharaonis sunt, hoc est, sub imperio diaboli: qui verò feruent in deum charitate, & ambulant in honesta humilitate, in curru dei locum habent, & deum sessorem reuerentur.* Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia. *Dramaticus ordo talis est, postquam anima erubuit super austeritate auditi præcepti, vt seipsam cognosceret, rubor verecundiæ diffusus in vultu, speciosas effecit genas eius, & multo quàm fuerant, pulchriores. Non solum autem genæ, sed & ceruix eius tam decora est reddita, quasi monilium redimiculis adornata. Pulchritudo igitur genarum, appositissimè turturibus comparatur, quòd huiusmodi auibus, honestas vultus, castitas & pudicitia declaretur. Turturum enim ea est natura, vt neq; masculus præter vnam fœminam, adeat aliam, nec fœmina plusquam vnũ patiatur marem, ita vt si accidat altero intercepto superesse alterum, pariter cum coniuge extinctus sit ei concubitus amor, &*

Marginal notes: Exod.14. (beside "plicabimus, deinde mystica eloquia"); 1.Tim.1. (beside "in hunc mundum peccatores"); Abacuc 3. (beside "cens: Nunquid in fluminibus")

conuenienter similitudo turturis aptatur ecclesiæ,quòd vel alterius viri post Christum, coniugium nesciat, vel quòd continentiæ & pudicitiæ in ea tanquam turturum volitet multitudo. & secundum hanc intelligentiam,ceruicem sponsæ accipiemus, qua sine dubio illæ intelligi debent animæ, quæ Christi iugum suscipiunt,dicentis: Iugum meũ *suaue est, & onus meum leue.obedientia eius, & prompta subiectio, ceruices eius appellantur.Ceruix ergo sponsæ,speciosa facta est sicut redimicula, & meritò.Quam enim prius præuaricationis inobedientia,turpem fecerat,nunc obedientia fidei,speciosam fecit & pulchram.Sunt autem redimicula,connexiones & constrictiones monilium, quæ in ceruicibus sedere solent,ex quibus deducitur per totum collum reliquus ornatus:monile verò,ornamentum gutturis, quod virtutes admoneat, nam primò ob aliquod egregium factum dari solebat.* Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. *Amici sponsi pollicentur sponsæ,se facturos illi venustissimas auri similitudines, vnà cum distinctionibus argenti, quoadusque rex sit in recubitu suo,murenulæ autem à capite defluentes,solent ad ceruicem ornandam aptari.* Et *idcirco illæ doctrinæ præclaræ sunt,quæ à capite,id est,Christo procedentes, sic spirituali officio ministrant, vt ceruicem nostram,iugo Christi subdendam edoceant.Sublimius hæc meditando,dicimus sanctos angelos,patriarchas, & insignes prophetas,destinatos fuisse ad erudiendam paruulam sponsam, vnà cum pædagogo, scilicet lege, donec plenitudo temporis veniret, & mitteret deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, cui non fecerunt aurum,sed similitudines auri argento vermiculatas.Auri species,figuram tenet inuisibilis & incorporeæ naturæ,argentum verò,virtutem verbi ac rationis: secundum quod & dominus dicit per prophetam, Dedi vobis argentum & aurum, vos autem fecistis argentea & aurea* Baalim,*ostendens per hæc, & dicens:Quia dedi vobis sensum & rationem, qua me deum & sentire possetis & colere, vos autem & sensum & rationem,quæ in vobis est,ad colenda dæmonia transtulistis.Sed, & eloquia domini,eloquia casta,argentum igne probatum,dicitur.Quæ igitur in antiqua lege narrantur & exprimuntur,non habebant in se auri veritatem,sed duntaxat figuram, & adumbrabãt euangelicam gratiam,auro effigiatam: & de illis loquitur* Paulus,*dicens,* Hæc *autem in figura contingebant illis, & quæ tegebantur in absconditis, & arcana erant,aliquando prodierunt in lucem.Nec tamen antiqui illi patres, sub quorum tutela & pædagogica ferula,vixit paruula sponsa,hanc Christi lucem & euangelicũ splendorem viderunt.de quibus loquutus est Christus suis apostolis,dicens:Amen quippe dico vobis,quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre,quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.Nec tamen reijcienda sunt illorum scripta, figuræ & vaticinia,nam indicia fuerũt spiritalis intelligentiæ, & honestis illorum imaginibus, & formis,pueritia sponsæ fuit illustrata,cuius murenulæ aureæ,siue ornamenta capitis,auro & lapidibus pretiosis intertexta,fuerunt ante aduentum Christi argento vermiculatæ,hoc est, minutim & quodam emblemate vermiculato distinctæ.* Dixerũt *veteres, vermiculare,minuta opera facere: & vermiculata opera, paruis testulis elaborata: & vermiculatim,minutim.At vbi primũ sponsa cœpit perfectè osculis sui sponsi*

Ephes.5.
Matth.11.
Galat.4.
Psalm.11.
1.Corint.10
Matth.13.

& amplexibus perfrui, fuit auro & aureis sui sponsi literis eximiè illustrata. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. *Nardus, frutex est graui & crassa radice, sed breui ac nigra, aspero sapore, folio paruo, densóque, & vnguẽtum ex eo factũ, nardinum dicitur. Innuit hoc in loco historia, sponsam ad sponsum ingressam, eum suis vnguentis vnxisse, ac miro quodam genere, quasi nardus quæ prius odorem non dederat, cum esset apud sponsam, tunc dederit odorem suum, cũ corpus sponsi contigit, vt non tam ille ex nardo odorem, quàm nardus ex ipso sumpsisse videatur. Sed ad mysteria progrediendo, intelligamus sponsam, ecclesiam siue animam,*
Ioan.12. *in persona* Mariæ, *attulisse libram vnguenti nardi pisticæ pretiosi, & vnxisse pedes* Iesu, *& detersisse capillis suis, quæ quodammodo recuperauit per crinem capitis sui ad semetipsam, vnguentum, & odorem non tam nardi per vnguentum, quàm ipsius verbi dei ad se trahentis per capillos, quibus abstergebat pedes, & imponens capiti suo non tam nardi, quàm* Christi *fragrantiam, dixit, quia nardus mea, missa in corpus* Christi, *reddit mihi odorem eius, & odoratissimam sensi spiritussancti & spiritalis doctrinæ fragrantiã.* Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Myrrhæ species, condiendis mortuorum corporibus, apta dinoscitur, ecclesia eo feruet amoris incendio erga* Christum, *vt syncerum eius amorem semper habeat in suis vberibus reconditum, nec possit suum sponsum toto affectu & ambobus brachijs non constringere, à quo etiam morte dimoueri & diuelli non potest, & nunc hæc loquitur,* Mors *dilecti mei, quam pro salute mea subijt, semper in mea memoria commorabitur, nunquam beneficiorum eius obliuiscar, gaudeo quòd pro me amaram mortem vltro pertulerit, sed magis meus gestit animus, quòd propter meam iustificationem*
Roma.4. *resurrexerit. Hic fasciculus myrrhæ, mihi est* Christus *passus, mortuus & sepultus, quẽ magis, quàm mea vbera diligo. De hoc myrrhæ alligamento loquitur psalmographus,*
Psalm.44. *dicens:* Myrrha *& gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. A vestimentis ergo verbi dei, quæ est doctrina sapientiæ, procedit myrrha, mortis duntaxat indicium, pro humano genere susceptæ,* Gutta *exinanita, diuinitatis forma, seruilis formæ suscepta dignatio: Casia quoque, quoniam id genus herbæ aquis indesinentibus nutriri dicitur & coalescere, redemptionem humani generis per aquas baptismi datam, indicat. Et sicut myrrha præseruat carnem à putredine, ita fragrantissimus* Christi *odor, præseruat hominem à peccati corruptione, nec solùm præseruat, sed etiam mirè oblectat.* Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. *Cyprus, arbor est similis oliuæ in folijs, cum flore nigro, & semine candido, & suauissimi est odoris. Est etiam* Cyprus *insula, quæ præ omnibus terris, miræ magnitudinis botros vuarum gignit, nec solet aliquod cadauer hominis mortui ad sepulturam recipere, sed statim euomit & eijcit. Engaddum autem, ager terræ* Iudæ *est, non tantum vineis, quantum balsamis florens, &* Engaddi *interpretatur oculus tentationis meæ, aut fons hædi. Vult dicere* Salomon *ad historiam, odorem & fragrantiam sponsi, superare quicquid est in odoribus & floribus suauitatis. Optimum spirant odorem* Cyprus *&* Engaddum, *meliorem tamen &*

suauiorem spirat hic sponsus.& hoc dicit sponsa adolescentulis,vt eas magis,ac magis ad amorem sponsi concitet & inflammet.Inspiciamus tamen quidnam hæc habeāt spiritalis intelligentiæ.Hic botrus vitis,est verbū dei,sapientia,virtus & thesaurus sciētiæ,& vera vitis.Vnde in euangelio Ioānis dicit Christus,Ego sum vitis vera,& pater meus agricola est.Omnem palmitem in me non ferentem fructum,tollet eum,& omnem qui fert fructum,purgabit eum,vt fructus plus afferat.Nec vitis hæc, repentè nobis maturum fructum parit,sed sensim,& primo producit suauitatem odoris in florē: quam si honestis vitæ studijs excoluerimus,& in ea permanserimus,optimum & dulcissimum fructum nanciscemur. Potest & dici hic botrus florens in vineis Engaddi, fragrantissima Christi gratia, quam post acerbitatem tribulationum & tentationū recipimus.Nec ex sacramento huius vitis feruntur ad perfectionem,qui contemnūt bibere calicem noui testamenti ab Iesu susceptū.Cyprino igitur æstu incalescamus,vt optimis virtutum officijs,diuinæ gratiæ ignem etiam ardētissimum in nobis persentiamus, demúsq; operā,vt possimus ex florentissimo Engaddi botro,victa dæmonis lucta,gratiam diuini odoris haurire. Ecce tu pulchra es amica mea,ecce tu pulchra es,oculi tui columbarum. *Familiari colloquio confabulatur sponsus cum sua sponsa,quam ab insigni pulchritudinis gratia extollit:prius eā admonuerat,vt seipsam cognosceret,simul suo equitatui & equis albis contulit, eiúsq; genas pro excellenti verecundia & castitate,turturibus comparauit,& ceruicem eius,venustissimis ornamentorum redimiculis:nunc verò eam profitetur speciosam,& mira cum quadam gratia: bis vocat pulchram,extrinsecus quidem & intrinsecus,eiúsque oculos confert columbis, ob hoc profecto,quòd ea nihil sit simplicius & modestius:nec absurdè Christus ostendens suis discipulis, quásnam deberent in sua legatione obeunda,virtutes amplecti, dixit, Estote prudentes sicut serpentes,& simplices sicut columbæ.Confertur etiam ob id columbis,quòd diuinas scripturas non iam secundum literam,sed secundum spiritum intelligat,& aspiciat in eis spiritualia mysteria:columba enim indicium est spiritus sancti.Spirituali ergo sensu intelligere legem & prophetas, boc est oculos columbæ habere.In Psalmis etiam anima pennas columbæ sibi dari desiderat,vt volare possit in intellectum spiritualium mysteriorum,& requiescere in atrijs sapientiæ.Quòd si Christus dicatur caput Ecclesiæ,nihil absurdum videbitur,si & oculi eorum,qui secundum interiorem hominem spiritualiter intelligunt,& spiritualiter diiudicant, dicātur oculi columbarum, & potissimum Apostoli,sunt oculi columbarum,quos deus primum pòsuit in Ecclesia.* Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus. *Mutuum laudis officiū rependit sponsa suo sponso,nec ingratitudine obscurauit beneficia,quæ à sponso acceperat:& quanto magis oculis spiritalibus cōspicitur,tanto pulchrior inuenitur.nec solius illius species mirabilis apparebit,verūetiam & intuenti eum decus ingens orietur, secundum illud quod Apostolus verbi dei pulchritudinem inspiciens,dicit,* Nam etsi is *qui foris est,homo noster corrumpitur,qui tamen intus est,renouatur de die in diem.Et quis non facilè sibi suaderet,hunc illustrissimum sponsum,& corporis & animi candore venustissimum esse,qui ab omni vitiorum squalore immunis,dixit* Iudæis liuore cor-

Ioan.15. Matth.10. Matth.3. Psalm.54. 1.Corin.12. 2.Corint.4.

l.j.

Ioan. 8. *rosis, Quis ex vobis me arguet de peccato? Et de eius pulchritudine hæc cecinit David,*
Psalm. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te deus in æternum.* Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. *Communis iste sponsi cum sponsa lectulus, eleganti florum & virtutum varietate respersus est, quo nihil est floridius, nihil deniq; odoratius, & hoc cubile vmbrosum, est corpus dominicū, in quo deitas requieuit,*
Matt. 27. & Ioan. 19. *syncerum quidem & odoriferum, quod Ioseph & Nicodemus officiosissimè inuoluerūt in sindone munda, vnà cum odoriferis aromatibus, & posuerunt in monumēto, in quo nondum quisquam positus erat. Tigna cedrina & cypressina, sunt incorruptibilia & odorifera. Natura cedrorū semper crescit, nec aliquādo tendit ad senectam, secundū il-*
Psalm. 91. *lud Psalmographi, Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur. Harum autem arborum succus, tantæ virtutis est, vt diuersa corporum membra sanet, vermes vlcerum necet, & à muscarum aculeis peruncta corpora defendat. Cypressi verò lignum manu artificis runcinatum, decorū præstat aspectum, & odorem iucundissimū reddit, ac medetur multis corporum affectibus. Hæc domus, cuius sunt hæc tigna & la-*
1. Timot. 3. *quearia, spiritalem intelligētiam spectando, est Ecclesia dei, de qua dicit Paulus, Si autem tardius venero, vt scias quomodo te oporteat in domo dei conuersari, quæ est Ecclesia dei viui, columna & firmamentum veritatis. Tigna autem domus Dei, intelligere debemus, præsbyteros, qui suo sanctissimo ministerio, bonis operibus & sana doctrina, Ecclesiam contegunt. Trabes verò & laquearia, quibus sustentatur ædificium, & protegitur ab imbribus & ab ardore solis, Episcopos, quorum robustioribus animi viribus, Ecclesiæ propugnaculum suffulcitur, & à sæuissimis hæreticorum incursionibus defenditur. Sed vnum me vehemēter torquet, quòd qui in Ecclesia deberent esse trabes, vix sunt tigna, qui potius sub Martis, quàm Christi sacramento militant.*

ARGVMENTVM SECVNDI CAPITIS.

Mirè sponsus suam ad se sponsam allicit, & in sui amorem multis argumentis inflammat, cui non solùm Elysias sui candiduli campi delicias optat, verùetiam vult vt illis abundè fruatur. quòd si percupiat vernantissimos sui sponsi hortulos inuisere, omnia illi oblectamenta patefient, suos argenteo flore, & candido lilio pascet oculos, nec tamen minus infidelium armis & insidijs circundabitur, quàm liliū spinis. verùm quò magis infestabitur, & acutissimis suorum inimicorum aculeis compungetur, eò fortius obsistet, & profligatis hostibus natiuum florem retinebit, nec cuiquam, etiam procellosis iactata fluctibus, palmam tribuet, & durissima persecutionum hyeme transacta, reflorescet, & summa cum lætitia suauissimis sui sponsi amplexibus perfruetur.

CAPVT SECVNDVM.

EGo flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordina-

uit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Et dilectus meus loquitur mihi, Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decôra. Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere: similis esto dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum super montes Bethel.

EGo flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. *Nihil iucundius sponso, quàm ditissimos sui nectarei campi thesauros suæ sponsæ, quam vnicè amat, impartiri: nihil denique illi gratius esse potest, quàm sua omnia communicare sponsæ, eiúsque præsentia frui. Spiritali tamen intelligentiæ adhærendo, dicit Christus Ecclesiæ, se esse florē campi & lilium conuallium. Campus, planicies terræ dicitur, cui cultura adhibetur, & excolitur ab agricolis. Conualles verò, saxosa magis & inculta indicant loca. Campus ille dici potest Iudæorum populus, qui propheticis oraculis & lege Mosaica instituebatur: conuallis verò, saxosus & incultus gentium locus. Hic sponsus, Iudæis flos fuit, sed quoniā neminē ad perfectū adduxit lex, idcirco in illis non potuit verbū dei ad florem proficere, & ad perfectionē fructuū peruenire. In ista tamen conualle gentium, effectus est sponsus lilium, tale sine dubio, quale in euāgelijs dicit, quod pater cælestis vestit. Et neq; Salomon in omni gloria sua indutus est, sicut vnum ex istis. Fit ergo lilium in hac conualle spōsus, in eo q̄ vestiuit eū pater cælestis tali vestimēto carnis, quale nec Salomon in omni gloria sua habere potuit. Non enim Salomon habuit absq; concupiscētia viri & concubitu mulieris, immaculatā & nulli prorsus peccato obnoxiam carnē. Et causa est cur is qui in campo flos fuerat, voluit esse in cōuallibus liliū. Cum enim multo tēpore flos fuisset in cāpo, nullus ex ipso flos ad incitationē sui ac similitudinē processit: vbi verò factus est in conuallibus liliū, cōtinuò eius sponsa imitatione ipsius, facta est liliū, acutissimis tamen inuoluta spinis. nam è medio infidelium, quasi ex spinis emersit, & pro hæreticorum circunstrepentium se morsibus, in medio spinarum collocata est. & quamuis animæ hæreticorum à recta euangelij semita diuarient & declinent, tamen à fide*

Hebr.7. Matth.6.

1.Ioan.2. *suscepta, sunt filiæ ecclesiæ, de quibus dicit* Ioannes, A *nobis exierunt, sed non erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Et licet *ecclesia multis improborum hominũ spinis confodiatur, nunquam tamen prosternitur, sed sicut lilium inter spinas, proprium odorem & candorem retinet, ita inter hæreticorum insultus flagrat, & floret inuicta* Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios, sub vmbra illius quem desiderabã sedi. & fructus eius dulcis gutturi meo. *Decuit sponsum de semetipso dicere, quidnam esset in campo, quid etiam in conuallibus, & de sponsa, qualis inter cæteras filias haberetur. Sponsam verò non conueniebat de semetipsa aliquid dicere, sed totam affici erga admirationem sponsi, & ipsius laudibus inhærere, quem comparat arbori mali, potius meli, sodales verò eius, reliquis syluæ arboribus. Sed sponsum ita huic arbori meli similem dicit, vt etiam concupisse se dicat sub vmbra eius sedere, fructúmque eius, dulcem sibi effectum in faucibus asseueret. & mauult* Origenes *legere arborem meli quàm mali, ne ex similitudine sermonis, simpliciores aliqui, arborem mali, malam arborem putent, & à malitia dictam. & melius est offendere* Grammaticos, *quàm legentibus scrupulum inijcere in veritatis explanatione. Malo arbori, vita est breuis, & fructũ cito perdit, ac celerrimè senescit.* Hæc *autem huic sponso minimè conueniunt. Legendo tamen arborẽ mali, dicũt quidam, sponsam, hoc prætendere. Sicut arbor mala granati, animas inedia famis affectas, sua vmbra protegit, ita sponsus, scilicet Christus, fructu suæ doctrinæ esuriẽtes & sitientes reficit. legunt & alij, sicut malum inter ligna syluarũ, sic dilectus meus inter filios: vt quemadmodum malum, visu, odore & gustu antecedit omnia ligna syluestria,*

Psalm.95. *ita Christus antecedit omnes sanctos, qui filij dei vocantur, de quibus dicitur, Tũc exultabunt omnia ligna syluarũ ante faciem domini, quoniam venit: & qui legunt malum, adhærent septuaginta interpretibus, græcè enim habetur* μῆλον, *id est malum, siue legamus arborem mali, siue meli, iusta erit nostri authoris sententia. dicit enim sponsa sequendo mysterium, suum sponsum præcellere filios, vt arbor meli præcellit reliqua syluæ ligna. Possumus autem ligna syluæ accipere, eos angelos, qui vniuscuiusque hæreseos authores fautorésque visi sunt extitisse, ita vt videatur ecclesia conferens suauitatem doctrinæ Christi, ad infructuosam & sterilem hæreticorum doctrinam, dicere melina esse & dulcissima Christi dogmata. Ligna verò syluæ, ea sunt, quæ ab hæreticis affir-*

Matth.3. *mantur, de quibus in euangelio scriptum est,* Ecce *iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: & omnes hæresiarchæ diuino iudicio securi excidendi, in ignem æternum demittentur. In huius igitur meli vmbra, concupiscit sponsa residere: & refugiens pestilentissimas hæreticorum literas, diuinæ sui sponsi sapientiæ adhæret mordicus, cuius vmbra*

Lucæ 1. *nobis vitam suppeditat. de qua ad* Mariam *dicitur, Spiritussanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: & hac vmbra proteguntur Christiani, qui verò sedet sub hæreticorum vmbra, videtur sedere in regione vmbræ mortis.* Et *qui sub lege fuerũt,*

Hæbr.10. *sub vmbra legis sedisse dicuntur: lex enim, vt dicit apostolus, vmbram habet futurorum bonorum.* Nos *autem alieni sumus ab illa vmbra, quoniam non sumus sub lege, sed sub*

gratia. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. *Regina aliquando exoptauit videre cubiculum regiũ, sed nunc cupit in regale introire conuiuium, & sapidissimo regis nectare perfrui, cuius tanta est benignitas, & tam propensus est eius erga omnes animus, vt velit sui amãtissimos suauissimo sui vini dulcore reficere. quod affabrè in prouerbijs à Salomone expressum legimus, Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Si quis est paruulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est, Venite com edite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Ad hoc conuiuium sancti angeli & prophetæ perduxerunt animas, pellexerunt & apostoli illos ad has nobilissimi regis nuptias, qui fide in Christo firmata, hæreditatem salutis capiunt. Et qui ex frugifera Christi vinea decerpunt fructum, debent permanere in charitate dei, & quemadmodum palmites nullum pariunt fructum, nisi in vite permanserint, ita nec christiani fructum habent, nisi in Christo manserint. Deinde fatetur sponsa se ordinatissimam à suo sponso charitatem didicisse: nec satis est diligere, sed honestus & prudentissimus dilectionis modus, spectandus est: & ordine charitatis perturbato, deum filij dei neglexerunt, & filias hominũ dilexerunt, vt dicit Augustinus lib. 15. de ciuitate dei, capite 22. Nec ille obseruat ordinem, qui diligit, quod diligere non debet: aut si quod debet, diligat, plus iusto diligit, aut minus iusto. In illis verò, charitas ordinata est, qui diligendo neq; declinant ad dextram, neq; ad sinistram. nec in dilectione dei tibi præscribas modum neq; mensuram, nam tota mente, tota anima, totóque corde, ad eius amorem ferri debemus: & qui amat patrem, aut matrem plusquam deum, à recto amoris ordine deflectit. Diligendo verò proximũ, est mensura aliqua, diliges enim proximũ sicut teipsum. Nam debemus esse propensiores in nobiliora & honestiora Ecclesiæ membra, quàm in abiectiora & inferiora. Longè plura comperies à nobis adnotata de dilectione dei & proximi, libro 4. nostræ Theosophiæ.* Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. *Secundum septuaginta interpretes, loco illius sententiæ, fulcite me floribus, legendum esset, firmate me in vnguentis, sic enim habent Græci codices* στηρίσατέ με ἐν μύροις, *sed Hieronymus Hebraicam veritatẽ in sua tralatione sequutus est. Hanc accipe historiæ veritatem, postulat sponsa ab amicis sponsi, vt confirmetur, & quasi deficiens sustentetur, incumbens paululum super arborem* μύῤῥιν *vel meliam, amoris enim vulnere percussa, arborum solatia syluarumq; sectatur. Mysticam verò sequendo intelligentiam, percupit ecclesia reclinari super arborem Meliam suauissimum adferentem fructum, & merito quidem: nam suum habet robur in bonis operibus & fulcimẽtum, confirmatur etiam in myrrhis & in fructuosis arboribus, in his scilicet, qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, & ex ipsa inuocatione, persentiunt quandam odoris fragrantiam, quia tamen non cum omni fiducia accedunt ad fidem, nullos fidei fructus adferũt: & tales sunt multi Catechumeni, qui à pseudoapostolis subornati, non perueniunt ad frugem. Nec deferuescit ecclesiæ amor erga suum sponsum, & eo charitatis telo configitur, vt nocturnis diurnisq; desiderijs, suum semper suspiret sponsum, &*

Marginal notes: Prouerb. 9. — Ioan. 15. — Augustinus. — Matth. 10. — Matth. 10. — Matth. 19.

languore intabescat, donec suauissimo eius osculo perfruatur. de hoc vulnere & sagitta loquitur Esaias, dicens, Et posuit me sicut iaculum electū, & in pharetra sua abscondit me. Tali vulnere decet deum percutere animas, talibúsq; iaculis configere: & sicut sunt dei iacula, quæ animæ habenti desiderium bonorum, salutis vulnus infligunt: ita sunt & iacula maligni ignita, quibus anima, quæ non est fidei scuto protecta, vulneratur in mortem. de ipsis dicit propheta, Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra sua, vt sagittent in obscuro rectos corde. Peccatores autē, qui ex insidijs & in occulto mittunt sagittas, dæmones potissimum intelligendi sunt, si tamen inueniant mentem hominis fide munitam, quantumuis nocendi flammis ardeant, non possunt hominem de gradu deijcere. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Desiderat sponsa suum caput, læua sui sponsi fulciri, totum verò corpus, dextera illius constringi. Per læuam, temporalia dei dona designantur, per dexteram verò, perpetua: aut læua, vetus testamētum: dextera verò, nouum figuratur: vel sinistra intellige fucatam gloriam, dextera verò longam vitam. Longitudo enim vitæ, vt dicit Salomon in prouerbijs, est in dextera eius, in sinistra verò eius, diuitiæ & gloria. Potest nec absurdè fides vocari læua, qua sustentatur nostræ spei caput: est enim, vt dicit Paulus, substantia rerum sperandarum: dextera verò, quæ totum hominem amplexatur, Christi charitas est, à qua Paulus nullis angustijs, nullo periculo, nullis tormentis, nullo denique mortis supplicio diuelli potuit: quam si quis non habuerit, tametsi omnibus fortunæ bonis affluat, nihil verè possidet, imò nihil est. Augustinus cursim attigit hunc locum, tractatu nonagesimo nono in Ioannem, vbi dicit, hunc tactum sponsæ ad sponsum, esse diuinum, nec dextra & sinistra sunt in deo, per diuersa corporis loca. cum enim dicitur scire, ibi sunt omnia, & videre & audire & olfacere & gustare & tangere, sine vlla eius mutatione substantiæ, sine vlla mole, quæ sit in alia parte maior, in alia minor.* Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruósq; camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. *Ea est sponsæ prudentia, eáque animi dexteritas, vt nihil velit fieri contra voluntatem eius, quem vnicè diligit, & adiurat adolescētulas per ea, quæ ipsis charissima sunt, vt si velint charitatem etiam iacentem & dormientem excitare, nihil tamen audeant attentare, quod non sit sponso gratissimum. Hæc autem adiuratio, fit per virtutes agri, plantaria & virgulta, & per capreas & ceruos. Caprea, animal est syluestre, quod nomen à videndo sortitum est. Nam ea est natura, vt non tantùm alia intueatur, sed alijs videndi perspicacitatem conferat. Testantur medici huic animali intra viscera, humorem quendam inesse, qui caliginem, ac oculorum lippitudinem depellit, & obtusiores visus exacuit. Et trita est illa Paræmia, de his qui perspicacissimè vidēt, caprearum oculos habere. Ceruus, animal est notissimum, quod à natiua pedum agilitate commendatur. Sequendo spiritalia huius sententiæ mysteria, dicimus vnamquanque animam rationalem, præcipuè quæ est filia Hierusalem, propriū possidere campum & agrum, in quo studet optimos parere fructus, & animi virtutes excolere. Fuit & ager Iacob, cuius suauitate permotus Isaac patriarcha, mysticis aiebat eloquijs: Ecce*

Margin notes: Esaiæ 49. — Psalm. 10. — Prouerb. 3. — Hæbr. 11. — Rom. 8. — 1. corint. 13. — Augustinus. — Gene. 27.

odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. Est etiam omnium simul filiarum Hierusalem *vnus quidam & communis ager, de quo Paulus agit, dei agricultura estis. Et hunc vocamus agrum, commune ecclesiasticæ fidei exercitium, in quo cælestes plantantur virtutes, & spiritalium gratiarū munera: nec possumus commodè hunc excolere agrum, nisi illius cælestis* Hierusalem *subsidio adiuti fuerimus.* 1.corinth.3. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Et dilectus meus loquitur mihi, Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. *Audiuit sponsa vocem sui sponsi super quosdam montes illi loco vicinos, in quo morabatur salientem, & quibusdam magnis non tam passibus, quàm saltibus, colles montésque in modum cerui, vel capreæ transcendentem, & ita ad sponsam suam, omni properatione venientem: vbi verò ad domum intra quam sponsa commorabatur, aduenit, stetit paululum post domum, ita vt sentiretur quidem adesse, nondum tamen volebat palàm intrare, sed per quasdam fenestras sub amatoris specie, inspicere sponsam. Erant tamen posita prope domum sponsæ, retia, vt si forte ipsa, vel aliqua sodalium eius ex filiabus* Hierusalem *aliquando exisset, inuolueretur: ad hæc retia incidit sponsus, & cum ab eis capi non posset, dirupit ipsa retia, & incedens super ipsa disrupta, contendit ad sponsam, cui dixit, Exurge, veni proxima mea, sponsa mea, columba mea, contemne huiusmodi retia, quæ tetendit inimicus: nec timeas laqueos, quia omne tempus quod iam videbatur graue, transijt, & hyems abscessit, pluuiæque abierunt, & tempus iam floridum venit: nihil moreris iter aggredi veniendi ad me, ecce enim & viticolæ, quia iam veris tempus arrisit, vineas colunt, vox turturis sonora & grata audita est, ficus germen suum produxit, vites, odoriferos flores, & florentissimum odorem protulerūt. Hæc, historiam attingunt, sed quidnam arcanum sit, discamus. Christus sola voce primo cognitus est ab ecclesia, quam præmisit per prophetas, & licet nō videretur, audiebatur tamen, & solùm sponsa hanc audiuit vocē, donec proprijs oculis intueretur sponsum, qui salijt aliquādo super propheticos mōtes & sanctos colles, sicut in* Psalmis *scriptū est, Fundamenta eius in montibus sanctis. & iterum, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Salijt etiam in eminentissimis Apostolorum montibus, in quibus effectus est similis capreæ, & hinnulo ceruorum: capreæ, quòd omnem visum, visus eius præcellat: & ceruo, quòd ad interitum serpentis adueniat. Et cum permittitur* Ecclesia *pati tribulationes, videtur illi sponsus absens esse, quamuis præsens sit patrocinio: & cum pace donatur, & optimis studijs, ac operibus floret, præsens ei esse in-* Psalm.86. Psalm.106.

telligitur. Et ea semita ad sponsum proficisci debemus, vt primo suauissimam eius vocem audiamus, quæ scilicet nobis facienda præcipit, sicut monuit vox illa patris, Hic est
Matth.17. filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Matth.17. & Matthæi
Matth.11. 11. Discite à me. deinde factis & bonis operibus, eius pareamus imperio, at vbi verbũ eius obseruauerimus, nos sinet sua frui gloria, nec immerito. Nam qui dura quæq; & aduersa tolerant, & callidas dæmonis astutias, ac intricata subtili artificio retia perfregerunt, digni sunt haud dubiè, vt post exantlatos labores in regno dei quiescant, & cælesti alimonia reficiantur. quod promisit Christus suis apostolis, & omnibus Christianis,
Ibidem. dicens, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Attendamus diligenter ad hæc planius intelligenda, Christum consueuisse montem conscendere, cum volebat sublimia rerum diuinarum myste-
Matth.5. ria suis discipulis aperire. In euangelio quippe Matthæi scriptum est, Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos, dicens, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ
Matth.17. cælorum, &c. & alibi, Et post sex dies, assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannẽ fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Eius autem discipuli huic monti celsissimo cõparati, monticuli dicuntur, à quibus lympidissimi fontes scaturierunt, quibus Ecclesiæ hortus irrigatur. possunt & ceruo confer
Psalm.41. ri, & etiam omnes sancti: dicit enim Dauid de viris optimis, Sicut desiderat ceruus ad
Psalm.28. fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te deus. & iterum, Vox domini perficientis ceruos. Nec addubitandum est, quin cerui spiritales, quorum formam & imaginem tenet animal illud corporale, ad maximam virtutum perfectionem euehantur, qui pro tuendo ecclesiæ fulcimento, serpentum & hæreticorũ genus insectantur, & contra diabolum, serpẽtem quidem callidissimum, in quosuis christianos sua venena diffundẽtem, acerrimè dimicant. Ex eo putant aliqui, Christum capreæ similem esse, quòd hominem à ditione dæmonis liberando, nostræ mentis tenebras expulerit, nósque faciat deum vi-
Ioan.14. dere, qui dicebat Philippo, Philippe, qui me videt, videt & patrem. Ioan.14. Hinnulo verò ceruorum, qui est sine cornibus, quòd cum in forma dei, esset filius datus est no-
Esaiæ.9. bis, Esa.9. & puer datus, cuius potestas super humerum eius. & quemadmodum hinnulus ceruorũ siue pullus, non nouit quempiam cornu ferire, nec in obuios ferocire, ita nec paruulus iste, quo nihil est benignius, nihil deniq; tractabilius, qui cum pateretur, non
1.Petr.2. cõminabatur: & cum malediceretur, non maledicebat. Fides conferri potest capreæ ani-
1.Corint.13. mali quidem ceruo minori, à qua contemplationis exordia proficiscũtur. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate: ceruo verò, perfectio operum & charitatis, quæ venena serpentum, & artes diabolicas eludit & euincit. Fenestræ, intelliguntur sensus corporei, quibus aut mors, aut vita intrat ad animam. Sic enim designat Hieremias, cùm
Hierem.9. de peccatoribus loquitur, dicens, Ascendit mors per fenestras vestras, & ita ascendit
Matth.5. mors per fenestras, vt omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo. Aut fenestræ istæ, sunt aures sapientum, quæ magna cum volu-

ptate audiunt Euangelium,& sanam Christi doctrinam,quandiu tamen animà corporeis nexibus astricta est, non possumus nudam & apertam dei sapientiam intueri, sed solùm per imagines rerum sensilium,& per retia fenestrarum,inuisibilia & supramundana entia contemplari.Sunt qui dicunt Prophetas fenestris exprimi, vt enim qui per fenestras aspicit,modò cernit,modò se subtrahit,sic & per prophetarũ dogmata aspexit aliquando deus:per Esaiam enim prædictus est,per Hieremiam prænuntiatus, per Danielem reuelatus. Deinde abducit sponsus suam sponsam à carnalibus ad spiritualia,à visibilibus ad inuisibilia,à lege ad Euangelia,dicens,Surge,propera amica mea, columba mea,formosa mea,expergiscere quidem à somno ad vigilias, egredere à tenebris ad lucem,sicut dicit Paulus,Surge qui dormis,& exurge à mortuis,& illuminabit te Christus.Nec desunt rationes,quibus allici debeat sponsa ad amorẽ sponsi,& vt propensius,ac celerius properet ad domum sui integerrimi amici. Nam pluuiosum & importunum hyemis tempus abijt,& imbres deciderunt. Attendamus secundum arcanam intelligentiã,hac dura & rigida hyeme,designari diuersa bella,quibus filij Israel affligtabantur, & tempus illud quo decem plagarum verbera,flagellabant Aegyptios. Vigebant etiam imbres ante tempus illud,quo Christus passus est,mandauit enim dominus propheticis imbribus,vt dulcissimam verbi pluuiam super terram pluerent,donec intrepidus euangelij præco veniret:at vbi venit,discesserunt imbres etiam prophetici,non quidem ad damnum credentiũ,sed ad maiora Ecclesiæ lucra,nec imbribus opus est,vbi flumen dei lætificat ciuitatẽ,vbi in mundissimo credentiũ animo,fit fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Deniq; quid opus est imbribus,vbi iam flores apparuerunt in terra nostra? & ex aduentu domini exciditur ficulnea,quæ prius nõ attulerat fructum, nunc autem fertilitate sui producit germina, quæ sunt spiritus sancti fructus,gaudium,charitas,pax,&c.& hanc arborem,in syncera Christianorum voluntate plantauit pater cœlestis:illa verò,quam non plantauit, eradicabitur. Et diuina sancitum est prouidentia, vt arbor mala,pessimũ adferens fructum,excidatur:bona verò,& quæ à feracissima sui natura non degenerat, perpetuo flore virescat. Et licet sponsus suam velit sponsam ad se properare,non potest tamen regium & magnificum sui regis palatium ingredi, nisi vafra & penè inextricabilia huius mundi retia euaserit.Etenim,vita hominis subiecta est multis offensionum laqueis,quos tetendit gigas ille fortissimus Nemrod aduersus humanam naturam, nec possumus otio & delicijs,hæc dæmonum illaqueamenta effugere, sed tribulationibus,& æqua animi tolerãtia.Nec quisquã hominũ potuit huiusmodi tendiculas suapte natura superare, sed solo Christi subsidio.Omnes enim declinauerunt,omnes facti sunt inutiles,nec quisquã est qui faciat bonum,etiam vsq; ad vnũ.Nemo etiam mundus est à sorde,etiã si vnius diei fuerit vita eius,solus est saluator noster,qui peccati naturam non habuit,licet pro nobis factus sit peccatum, siue peccati hostia,& de peccato damnauerit peccatum.Ad hæc incidit retia,sed inuolui nõ potuit,imò disrupit,quibus disruptis,dedit ecclesiæ fiduciam,vt audeat iam cassare laqueos, & cum alacritate dicere, Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantiũ,Laqueus contritus est,& nos liberati sumus,quæ

Ephes.5.
Matth.11.
Psalm.45.
Ioan.4.
Matth.21.
Galat.5.
Matth.15.
Roma.3.
Psalm.123.

fracto mentis putamine, odoriferos virtutum flores emisit, & vocem turturis audiuit,
1.Corint.2. *illius sine dubio sapientiæ, quæ in mysterijs abscondita est. Hoc nanque indicat appellatio turturis, etenim hæc auis, in secretioribus locis vitam transigit, deserta montium diligens. Meruit tandem ecclesia immaculata nomen columbæ, quam vidit sponsus renouari de die in diem, & esse capacem munerum spiritussancti, qui in specie columbæ de-*
Ioan.1.
Psalm.54. *scendit in Iordane super Iesum, ad quem celerrimo volatu peruenit, dicens, Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam: volabo quidem sensu & intellectu spiritali, & requiescam, cum apprehendero sapientiæ eius thesauros, nec potero non suauissimum virtutum cœlestium odorem persentire, & optatis tandem mei sponsi delicijs perfrui. In loco quidem sub velamento & tegmine saxi posito, qui situs est iuxta promurale quoddam. Promurale autem dicitur, cũ extra muros, qui ambiunt ciuitatem, alius ducitur murus, & est murus ante murum. Et in hoc loco secretissimo, cupit sponsus ostendere sponsæ, quam tantopere diligit, faciem suam. Hoc autem saxum siue pe-*
1.Corint.10. *tra, est firma & solida Christi doctrina, imò ipse Christus, de quo dicit* Paulus, *Petra autem erat Christus, cuius fide & sapientia si protegatur anima, cito perueniet ad illud secretum, vbi reuelata facie gloriam domini contemplabitur. Et de eadem petra loqui-*
Psalm.39. *tur* Dauid, *dicens,* Et *statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Nec im merito creditur velamen istud petræ tutum esse, quia &* Salomon *de ea dicit in prouer*
Prouerb.30. *bijs, quòd vestigia serpẽtis non possunt deprehendi super terrã: sic enim ait,* Tria *sunt, quæ impossibile est mihi intelligere, & quartum quod ignoro, vestigia aquilæ volantis, & viam serpentis super terram, & semitas nauis in pelago, & vias viri in iuuentute. Serpentis ergo, id est, diaboli vestigia, & signa aliqua peccati, in hac petra, quæ est Christus, inueniri non possunt. Et anima huius petræ velamine protecta, peruenit ad promuralem locum, id est, ad contemplandum incorporalia & æterna. Hoc autem foramen*
Matth.11. *petræ ille est, qui reuelat & innotescere facit hominibus deum. Nemo enim nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit reuelare: at vbi cœpit esse congressus & confabulatio sponsi cum sua sponsa, in promurali loco, qui designat futurum seculi statum, tunc dicit sponsus, Ostende mihi faciem tuam, & auditam fac mihi vocem tuam, quia vox tua suauis est. Auditam vult fieri vocem ecclesiæ suæ, quia, qui eum confessus fuerit coram*
Matth.10. *hominibus, & ipse confitebitur eum coram patre suo, qui in cœlis est. Et ex eo vox ecclesiæ suauis est, quia is qui confitetur vocem ecclesiæ catholicæ, veram fidem confitetur: vox verò hæreticorum est fœda, insuauis, & iniucũda.* Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit. *Suos sponsus alloquitur sodales, & ipsis dicit, vt capiant vulpes pusillas, quæ insidiantur vineis, vbi primùm germen ostenderint, nec sinunt eas peruenire ad florem, & consulendo maximè vinearum vtilitati, vult capi vulpeculas, sed discutienda est spiritalis intelligentia. Potestates & nequitiæ dæmonum, non absurdè dicentur vulpeculæ, quæ prauis cogitationibus nituntur Christianos & odoratissimum animæ florem exterminare, ac fidem ecclesiæ perimere. subreptitias huiusmodi cogitationes immisit diabolus*
Ioan.13. *in cor Iudæ, sed* Deus *suo prouidentissimo consilio præcipit suis angelis, & apostolis,*

vt vulpinas dæmonum astutias & cogitationes ab hominibus depellant, & opportunè quidem, cum adhuc pusillæ sunt: dum enim cogitatio animi mala est, in initio facile potest abijci à corde: nam si frequenter iteretur, & diu permaneat, adducit animam ad consensum. Dolosa hæreticorum sophismata, istis vulpeculis assimilantur. Nec minus conantur simplices blandis verborum lenocinijs, & studijs vera religione prætextatis, inuoluere, quàm vulpecula in suis antris irretire animantia. de quibus hæc eloquitur Dauid, Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, Psalm.62. *tradentur in manus gladij, partes vulpiū erunt. Et saluator cuidam scribæ dicenti, Magister, sequar te quocunque ieris, respondit, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, vbi requiescant, filius autem hominis nō habet vbi caput suum reclinet.* Matth.8. *Similiter & ad eos qui dixerūt domino, Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere, respondit Iesus, Euntes dicite vulpi huic, Ecce ego eijcio dæmonia, & sanitates hodie perficio,* Luc.13. *& crastina, & tertia die consummabor. Adde quòd in libro Iudicū, Samson, cum vxor,* Iudicum 15. *quæ erat ex genere Philistinorum, ei fuisset ablata, ait ad patrem eius, Innocens sum ego hac vice ab Allophylis, quia faciā vobiscum mala. & abijt Samson, & accepit trecentas vulpes, & accepit lampades, & ligauit caudam ad caudā, & posuit lampadem vnam inter duas caudas vulpium, & accendit ignem in lampadibus, & emisit eas per messes Allophylorum, & incendit omnes messes eorū, & stipulas, & vineas, & olíueta.*

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies & inclinētur vmbræ. Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum super montes Bethel. *Agnoscit & sponsa propensissimum sui sponsi animum, à quo disiungi non potest. Vna est sanè amborum connexio, sicut dicit Paulus, Erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, dico autē in Christo & in ecclesia, Ephe.5. & redamat illū quo amatur, quē & vernantissimis lilijs antepomit, cuius præsentia dum fulgidissimus diei splendor illis aspirat, cupit perfrui. Arcanam sumere possumus ex his verbis intelligentiam, Christus est lux mundi, illuminās* Ephe.5. *omnem hominem venientem in hunc mundum, qui inter candida Apostolorum lilia nutritus, omnibus sua passione salutifera, euangelicæ Philosophiæ cognitionem infudit,* Ioan.1. *& in sanctorum ac virginum cœtibus decoratus, suam ecclesiam optimis virtutum dotibus illustrauit, quam permisit aliquando sub veteris instrumenti vmbris, & typicis obseruationibus obscuratam erudiri. Et nunc optat suum sponsum capreæ & hinnulo ceruorum similem, ad se reuerti super montes Bethel. Interpretatur autem Bethel, domus Dei, & superna angelorum, ac beatorum patria, in qua depulsis omnium perturbationum fluctibus, vitam aget cum suo sponso iucundissimam.*

ARGVMENTVM TERTII CAPITIS.

Sponsa eo feruet amore erga suum sponsum, vt eius absentia maximè tristetur, ma iúsque sentit vulnus, quàm si acutissimis spiculis trāsfigeretur. vbiq; locorum diligenter eum peruestigat, nec tamen facile illum inuenit, perquisiuit & in nuptiali thalamo, nec tamen reperit. Lustrauit omnium ciuitatum vicos & plateas, sciscitata est à custo-

dibus vrbium, si nam, quem diligebat, vidissent, nec rescire potuit vbi nam locorum lateret, donec pertranseundo vigiles ciuitatis, offendisset, quem vnicè amabat, cuius osculo & placidissimo amore cũ frui cœpisset, gestijt, vicitq; omnẽ animi ægritudinem, & tandem in suũ secretissimũ cubiculum introduxit, à cuius amplexibus dimoueri non potuit.

CAPVT TERTIVM.

IN lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Surgã, & circumibo ciuitatẽ: per vicos & platéas quæram quem diligit anima mea. quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Hierusalem. Egredimini & videte filiæ Sion, regẽ Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

IN lectulo meo per noctes quæsiui, quẽ diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. *Quid molestius potest esse sponsæ, quàm suauissimo sui sponsi commercio priuari? Quid est, quod tam acerbè amiculam torqueat, quam vbiq; locorum perquirere sponsum, & frustra niti? nec illum inuenire, quem tantopere diligit? Sed ab historia siue litera, migremus ad allegoriam, & mystica eloquia. In his qui in fide dormitant, & densissimis ignorantiæ tenebris obducuntur, ecclesia quæsiuit Christum, nec tamen pro illis inuenit. qui enim fluctuant in fide, & vix tantillam fidei scintillam habent, obtinere non possunt quod postulant: opus enim est iugi studio, & assiduis precationibus, vt optatis rebus perfruamur. quòd si precando, repulsam passi fuerimus, non propterea ab inceptis desistere debemus, sed permanenter illum vrgere debemus, à quo speramus beneficium, & tutò confidimus, nos nonnihil gratiæ assequuturos. quod pulchrè expressit Christus in euãgelio Lucæ, dicẽs suis discipulis,* Lucæ 11. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum, & ille deintus respondens, dicat, Noli mihi molestus esse, iam*

*ostium clausum est,& pueri mei mecum sunt in cubili,non possum surgere & dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis etsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.& ego dico vobis,Petite & dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulsate,& aperietur vobis.Omnis enim qui petit,accipit: & qui quærit,inuenit: & pulsanti aperietur.*Matth.7. *Hæc eadem promissio expressa est in euangelio Matthæi,& apertius eam Christus explicat,dicens,Omia quæcunque petieritis in oratione credentes,accipietis.Non igitur satis est petere,sed quæ interpellando postulamus,debent & fide,& feruentissimis orationibus fulciri.Nobis Chananæa illa ostendit,quomodo debemus cõtinuò orare dominum,quam bis precando repulit,vicit tandem animum Christi,& obtinuit quod postulabat,cum se contulit catellis,qui comedunt de micis,quæ cadunt de mensa dominorum suorum,cui dixit Christus,O mulier magna est fides tua.fiat tibi sicut vis.Nec fatuis virginibus aperta est ianua,tametsi pulsassent,neglexerunt enim opportuno tẽpore pulsare,nec acceperunt oleum in lampadibus suis,vt exirent obuiam sponso.Idcirco Christus dixit illis,Nescio vos.& Pharisæis dixit, Quæretis me,& non inuenietis. Sanctissimæ mulieres quæsierunt Christum in monumento,& non inuenerunt.Nec Maria Magdalene fide vacillans, meruit Christum tangere, quem quærebat in monumento. Filij Israel quãdo quæsierunt deũ toto corde, tota anima,& tota voluntate,inuenerũt. Sed qui tepida mente quærunt dominum,non inueniũt.Idcirco dicit Propheta,Quæres locum eius,& non inuenies.Et apud Hieremiã dicit dominus,Quæretis me,& non inuenietis.Quæramus igitur dominum in simplicitate cordis,& syncero affectu,& à terrenis rebus,ac voluptatibus abducti,quod feruenti desiderio peruestigauimus,inueniemus.Et licet ecclesia toto æstuans desiderio, suum quærat sponsum, ob hoc minimè inuenit,vt amore illius accensa ardentius quærat.*

Matth.21. Matth.15. Matth.25. Ioan.7. Matth.28. Ioan.20. 2. Parali.15. Psalm.36. Hierem.29. Sapien.1.

Surgam, & circumibo ciuitates, per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea, quæsiui illum,& non inueni.*Consideraui omnem præsentis seculi gloriam,inspexi cõuenticula infidelium,& diuersas philosophorum sectas,quorum adij mysteria,sed nec illic reperi quem diligit anima mea. Circuiui terram, & mare, neq; vllus est hæreticorum viculus,quẽ non lustrauerim,nec laboribus peperci,vt totum terrarum orbem peragrarem,nec tamen quod optabã,prosperè euenit.Hæc ciuitas dici potest,Ecclesia militans, de qua dicit Psalmographus,Gloriosa dicta sunt de te,ciuitas dei. & iterum,Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei,sanctificauit tabernaculũ suum altissimus.& rursum,Magnus dominus & laudabilis nimis in ciuitate dei nostri,in monte sancto eius. Beatus etiã Ioãnes in sua Apocalypsi Ecclesiæ sanctæ adhuc desudantis in agone,mysterium adaperiens,ait,Ego Ioannes vidi sanctã ciuitatem Hierusalem,nouã, descendentem de cælo,à deo paratã,sicut sponsam ornatã viro suo.Quã appellat ibidem sanctam ciuitatem,quoniã in ea fidelium omniũ est collectio,tanquã in vna republica sub capite Christo,cuius legibus & institutis viuunt,& Hierusalẽ vocata est,quòd in ipsa tranquillæ pacis sit visio per fidẽ,& in spe futuræ pacis potiundæ.& aliquãdo hæc ciuitas facta est meretrix,de qua loquitur Esaias,dicẽs, Quomodo facta est meretrix ci-*

Psalm.86. Psalm.45. Psalm.46. Apocaly.21. Esaiæ 1.

uitas fidelis, plena iudicij? & id accidit, quando Iudæi interfecerunt prophetas, & sal-
Hierem.6. *uatorem nostrum. & de eadem dicit* Hieremias, *Hæc est ciuitas visitationis, omnis ca-*
lumnia in medio eius. cuius captiuitatem & afflictioně deplorauit idem propheta, di-
Thren.1. *cens, Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua, domina gětium.*
Ezech.7. *abundauit hæc ciuitas multis vitijs, quod &* Ezechiel *testatur, dicens, Terra plena est*
Ephes.5. *iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate, fuit tamen ciuitas christianorum, lauacro aquæ in verbo vitæ repurgata, quæ non potest abscondi supra montem posita. de*
Matth.5.
Hierem.1. *qua dicebat dominus* Hieremiæ, *Dedi te in ciuitatem munitam.* Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem. Num, quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransirem eos, inueni quem diligit anima mea. *Aethnicæ philosophiæ principes, & græcæ sapientiæ classici, mecum de rebus diuinis manus conseruerunt, & multa inania & futilia perscrutati sunt, quibus dixi, cur casso labore & vano conatu animum torquetis? cur frustra vestra ingenia atteritis? num, quem diligit anima mea, vidistis? nec tamen in tumidis vestræ sapientiæ studijs, quæ*
1.Corint.1. *superbè iactatis, Christum inueni: quandoquidem stultam fecit deus sapientiam huius mundi. Dici possunt vigiles, qui custodiunt ciuitatem, id est, Ecclesiam, apostoli, vel cæteri doctores, qui solidam Christi doctrinam amplexati sunt, sed opus est diuino sub-*
Psalm.126. *sidio, vt tutius ab incursionibus hæreticorum, & obsidione protegatur hæc ciuitas. Nisi enim dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. sæpissimè nos cohortatur Christus vt vigilemus, & in castris nostri animi agamus excubias, ne dia-*
Matth.24. *bolus nos inueniat oscitanter dormientes, & otiosos, Vigilate, inquit, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam: ideo & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est. Et fatuis vir-*
Matth.25. *ginibus dixit, Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Cum etiam properaret*
Matth.26. *ad aram crucis, dixit Petro & duobus Zebedæi filijs, Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hic, & vigilate mecum. atque iterum, Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Perpetua digni sunt glo-*
Lucæ 2. *ria pastores illi, qui in natiuitate Christi vigilabant, & custodiebant vigilias noctis su-*
2.Corint.6. *per gregem suum. Vult etiam Paulus dei ministros, se exhibere deo in multa patientia,*
1.Petr.5. *in vigilijs, in ieiunijs, &c. Beatus quoque Petrus nos commonefacit, vt in multis vigilijs stemus aduersus insidias diaboli, dicens, Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Deinde dicit sponsa, Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Ac si vellet innuere, cùm pertransissem paululū huiuscemodi homines, qui sibi vanam arrogant sapientiam, & iudicassem eos in suis superstitiosis adinuentionibus stolidissimos, inueni quem diligit anima mea, scilicet Iesum Christum, & reperi sapien-*
1.Corint.2. *tiam in mysterio absconditam, quam loquuti sunt apostoli inter perfectos, quibus deus reuelauit per spiritum suum, qui scrutatur omnia etiam profunda dei. aut dic ecclesiam hæc innuere, dum comitatui apostolorum adhæsi, contemptis æthnicorum studijs, & re-*

licta Iudæorum religione, fragrantissimam euangelij gratiam olfeci: inueni quem tantopere diligebam, cui omnia mea studia, conatus, industriam & omnes animi vires deuoui: quem osculatus est Symeon vir iustus, & cùm eum suis vlnis constrinxisset, dixit, Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuũ. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illũ in domum matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ. *Nihil putat ecclesia sibi vnquã felicius ac optabilius contingere potuisse, quàm osculo sui sponsi & exoptata eius præsentia frui, & mutuò cum suo amiculo confabulari, & Epithalamium iucundissimis facetijs & salibus respergere: prius languit ecclesia, & tota mœrore contabuit, nunc verò omnia illi rident, plaudunt, & depulsa tristitia perplacent, nec sinet abire sponsum, nec dimittet, donec introduxerit illum in domum suæ matris: illi firmissima fide adhærebit, etiam vsq; ad consummationem seculi: quando eius mater, synagoga scilicet, illi credet, & fiet vnum ouile, & vnus pastor, vt Iudæi, qui eum hactenus negauerant, corde recipiant, pro quibus optauit Paulus esse anathema à Christo. Esaias etiam clamauit pro Israel, Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. Si tamen dominus sabaoth non reliquisset eis semen, facti essent, sicut Sodoma & Gomorrha. Dixit etiam diuinum responsum & oraculum Eliæ, Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt, & cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum est, Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Facimus autem Christo secretum cubiculum, quando sordes animi, & insanæ cupiditatis, abluimus, vt in nostræ mentis hospitiolo diuersetur: de quo dicit saluator noster in euangelio Matth. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruósq; camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. *Hæc à nobis in secundo capite huius operis abundè explicata sunt, iterum tamen repetuntur, vt intelligant omnes, eam esse voluntatem sponsi, vt & Iudæos, & gentiles velit saluos fieri, & eandem sibi esse de omnibus curam, nec quempiam ad fidem suscipiendam cogendum: nec debent doctores inconsulto & temere, vel muneribus solicitare, vel minis deterrere credituros: sed quæ sancta sunt, prædicare, & sponte ad fidem Christi, & religionem, credituros adducere.*

Lucæ 2. Ioann. 10. Roma. 9. Esaiæ 10. Esaiæ. 1. 3. Regũ. 19. Roma. 11. Esaiæ 59. Matth. 6.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? *Miratur synagoga Iudaicæ religionis obseruantissima, quomodo gentiles nullo circuncisionis mysterio abluti, nullis deniq; prophetarum oraculis eruditi, subito à pristinis voluptatibus, quibus fœdè immergebantur, per desertum paganismi & idololatriæ ad sublimia virtutũ culmina ascenderint, & reiecta suæ gentilitatis spurcitia, se totos Christo addixerint, & Iudæis in certamine fidei, & syncero religionis cultu, palmam præripuerint. Hunc autem populum vocauit dominus, sicut in Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem* Osee. 2.

Osee.1. *meam: & non dilectã, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam: & erit in loco, vbi dictum est eis,* Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij dei
Roma.9. *viui: & hæc Paulus reducit in memoriam in epistola ad Romanos, vbi dicit, quòd gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem, quæ ex fide est: Israel verò sectando legem iustitiæ, in legẽ iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scri-*
Esa.8. & 28. 1.Petr.2. *ptum est,* Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur. *& hanc gentem per desertum ad cælestia conscendentem,*
Roma.15. *doctor gentium* Paulus *ab* Hierusalem *vsque ad* Illyricum *congregatam, & vnguentis doctrinæ delibutam, mysteriorúmque aromatibus aspersam, vsque ad pacifici regis, scilicet Christi, lectulum perduxit. Et verè demigrauit gentium populus à deserto, & tenebris ignorantiæ, ad clarissimam euangelij lucem. Desertum appositè vocamus, locum illum, in quo nomen Christi non fuerat nominatum. De hoc populo qui per desertum, & per*
Psalm.106. *saxosa & inculta loca ad fidem Christi peruenit, loquitur propheta, dicens,* Posuit *deserta in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. Idem apud* Esaiam,
Esaiæ 41. Ponam *desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.* Loquitur
Hiere.31. *etiam* Hieremias *de illis qui inuenerunt gratiam in deserto, dicens,* Inuenit *gratiam in*
Zacha.7. *deserto populus, qui remanserat gladio. Et in* Zacharia *scriptum est,* Posuerunt *terram desiderabilem in desertum. Sed quis non aliquando incoluit desertum, & præruptis vitiorum scopulis illisus, fluctuauit in fide? Posuit deus filios* Israel *in deserto, vt dura*
Exod.3. *quæque & acerba sufferendo, tandem perueniret ad terram promissionis, terram quidem*
Exod.16. *lacte & melle fluentem, sed quia in desertis locis contra* Deum & Mosen *obmurmurarunt, & nephanda commiserunt flagitia, visi sunt indigni, vt suauissimis illius terræ*
1.Regũ. 17. *& paradisi delicijs fruerentur.* Dauid *tamen in deserto pascens pauculas oues non fuit desertus à domino. Prædicauit &* Ioannes Baptista *in deserto* Iudææ, *in quo austeram*
Matth.3. *egit vitam, & affectus carnis multis ieiunijs perdomuit, & prædicando dicebat, pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum, & multos ad fidem Christi pellexit, quos docuit integerrima suæ vitæ castimonia, macerandam esse in deserto carnis lasciuiam, & aculeos veneris obrepentes, assiduis vigilijs coercendos. Subimus luctam cum dæmone in deserto, illic facimus periculum nostræ constantiæ, quod osten-*
Matth.4. *dit locus ille euangelicus,* Ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo, *qui tamen à spiritu sancto non ducitur in desertum, facile succumbit & cedit barenæ. Nec Christianos vnquam deseruit Christus in deserto, si modò æqua animi tole-*
Matth.15. *rantia aduersitates patiantur, nec fame pereunt. Pauit enim Christus, & refocillauit in deserto, quinque panibus, & duobus piscibus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis, miseretur suorum famulorum, nec vult eos deficere in via. quòd autem dicit* Salomon, *Ecclesiam ex gentibus, ascendisse per desertum sicut virgulam fumi ex aromatibus myrrhæ &c. innuit, huiusmodi gentem, summo amoris incendio succensam, & omni virtutum præsidio adiutam, ad fragrantissimam Christi doctrinam contendisse, quæ sanctis precibus, & ardenti amore, huic sponso copulatur. Virgulæ fumi*

ex aromatibus, orationes dici possunt, quæ cordis compunctione ascendunt ad dominum. Solet fumus lacbrymas excitare, & de incenso nascitur, cui conferens Dauid *orationem, dicit, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo domine. Myrrha, & thus, & vniuersi pulueris pigmenta, mortificationis sunt insignia, vt dicit* Iustus *Episcopus, vel diuersa gratiarum, quæ in electis redundant, dona, insinuant: aut puluere pigmētario, exprimitur virtus bonæ operationis. conuersi ad* Christum, *spirant odorem suauissimum, cui neq; odor aromatum, neq; thuris, neq; pigmentorum conferri potest. Et in solitudine ac conuallibus gentium posuit deus cedrum, myrtum, & ligna oliuæ, sicut dicit per* Esaiam, *Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ. Ponam in desertum abietem, vlmum, & buxum, simul vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus domini fecit hæc: dicit etiam* Dauid *de gentibus deo seruiētibus, & de anima pauperis, Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei: & erit firmamentum in terra, in summis montium, superextolletur super* Libanum *fructus eius, & florebūt de ciuitate, sicut fœnum terræ. Et multis in locis ostendit* Dauid, *gentes honorare deum super misericordia. Confitebor (inquit) tibi in gentibus domine, & nomini tuo cantabo: psal. 17. & psal. 116. Laudate omnes gentes dominum, & magnificate eum omnes populi. Esaias etiam cap. 11. ait, Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eo gentes sperabunt. Lege Paulum de hac re amplè disserentem ad Romanos cap. 15.* En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusq; ensis super fœmur suum propter timores nocturnos. *Salomon regum omnium Israel & sapientissimus & opulentissimus, multis satellitibus & viris fortissimis stipabatur, ne ab inimicis circumueniretur, delectos habebat sexaginta ex fortissimis Israel, quibus concrediderat nocturnis vigilijs curam sui corporis, à quibus pendebat salus suæ vitæ, & tutò illis militibus ense, & omni armorum præsidio instructis, protectus, in vtranq; aurem dormiebat. Quem existimo secundū allegoriam præfigurasse* Christum, *tranquillæ pacis authorem primarium, de quo scriptum est, Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorū decretis euacuās, vt duos condat in semetipso, in vnū nouum hominē, faciens pacē, vt reconciliet ambos in vno corpore, deo: per crucē interficiens inimicitias in semetipso, & veniēs euāgelizauit pacē vobis, qui longè fuistis, & pacē ijs qui propè, quoniā per ipsum habemus accessū ambo in vno spiritu ad patrē. Huius autē regis pacifici lectulus, est requies, siue ecclesia à malis quiescēs, quā elegit dominus Sion, elegit eam in habitationē sibi. Hæc requies mea in seculū seculi, hic habitabo, quoniā elegi eam. Et huic Salomoni lectulū facimus, quādo mortificata vitiorū carne, à terrenis mūdi desiderijs, & sollicitudine quiescimus. In sexagenario autē numero (qui totus suis partibus constat, & per denariū ascēdit) merito ex fortissimis viris describuntur, qui præsente domino in ecclesiæ custodiā designantur, ad quam dicitur per prophetam, Super muros tuos Hierusalem custodes constitui, tota die & nocte perpetuò non tacebunt. Dicuntur etiam sexaginta fortes, apostoli, martyres,*

Psalm. 140. Iustus eps. Esaiæ 41. Psalm. 71. Psal. 17. & Psalm. 116. Esaiæ 11. Roma. 15. Ephes. 2. Psalm. 131.

& optimi ecclesiæ doctores & concionatores, quorum diligentia, studijs, & sanctis homilijs illustratur domus dei, & in dies clarior euadit. Per denariũ, decalogum legis, au-
Gregorius. *thore Gregorio, accipimus: senario verò, intelligimus totum tempus, quo deus sex diebus operatus est. Sublimius hæc meditãdo dicemus, huiusmodi viris fortissimis, adumbrari nobilissima corporis mystici membra. Constituit enim spiritus sanctus (qui non congessit in vnum solum hominem, neq; effudit omnes virtutũ dotes, neq; omnia gratiarũ munera) diuersos ecclesiæ assertores, & tutissimos protectores, ne obuolui posset ecclesia, & illaqueari callidis dæmonũ cassibus, & decipulis. Quosdã enim (inquit Paulus)*
1. Corint. 12. & Ephes. 4. *posuit deus in ecclesia, primũ Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum, hic gladius est verbum dei. Viuus est enim sermo dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ,*
Hebr. 4. *ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et de gladijs, & ensibus spiritalibus, quibus aduersus dæmonẽ decertamus,*
Ephes. 6. *loquitur Paulus ad Ephesios, dicens, Induite vos armaturã dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harũ, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Propterea accipite armaturã dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationẽ euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum dei. Et illi sunt ad bella spiritalia aptissimi, qui nouerunt carnali concupiscentiæ obluctari, & repugnare. & ensem super fæmur suum cõmodè baiulant, qui infrænes affectus, & libidines, temperantia & frugalitate mortificant, & assiduè austera vita insultus carnis & aculeos frangunt.* Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas ius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Hierusalem. *Ne hallucineris, nomine ferculi, exprimi epulas & cibos lautissimos: ferculum hoc in loco dicitur, gestatorium, & qui transtulit ex septuaginta interpretibus, legit ferculum, græcè habetur, φορεῖον, id est,*
Exod. 35. *ferculum siue gestatorium. Et hic differit Salomon de tabernaculi extructione, quod promptissimis populi donarijs illustratũ est, cui dominus præceperat, fieri tabernaculum fidei, & in honorem dei & cultum, extructum est, quod dictũ est ferculum à ferendo,*
Lyranus. *quasi fericulũ, vt placet Lyrano, quia portabatur à leuitis, & deferebatur de loco ad*
Nume. 4. *locũ. & in Hebræo habetur, papilliõnẽ fecit sibi rex Salomon. Est autẽ papillio, domus portabilis de lignis Libani, quæ sunt imputribilia. Domus dei, quæ est columna, & fir-*
1. Timot. 3. *mamentum veritatis, fulcitur fundamento imputribili, quod est Christus. Fundamen-*
1. Corinth. 3. *tum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Et apostoli sunt hæc structura & ædificatio, quæ neq; fluminibus, neq; ventis con-*
Matth. 7. *cussa, collabetur: fundata enim est hæc domus super firmam petram, & huius insignis*

ædificij columnæ & fulcra, fulgebunt perpetuò in regno dei. Ex eo columnæ illius tabernaculi dicũtur argenteæ, quia intra tabernaculum erant quatuor columnæ, quarum bases erant argenteæ, & in illis columnis pendebat velum, diuidens sanctum, & sanctum sanctorum, & ideo dicuntur argenteæ à base, qua nititur ædificium. Secundum mysticam intelligentiã, hæ columnæ argenteæ & sustentacula ecclesiæ argentea, sunt Apostoli & doctores, sicut Paulus dicit ad Galatas, Cum cognouissent gratiam dei, Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras mihi & Barnabæ dederunt societatis. Dicunt nonnulli hoc ferculum, esse carnem humanã, quam Deus sibi fabricauit, in qua delituit Christus, vt homo homines alloqueretur. Vt enim consules & duces, dum procedunt, in ferculo sedent, per ipsósque negotia mundi reguntur: sic & in carne humana, Deus conuocando ecclesiam sanctam, ferculũ sibi fecit, quo quidem non mundi negotia, sed cælestis regni documenta firmauit. Reclinatorium aureum, propitiatorium erat nitẽs auro, quod erat quasi sedes dei: aureum quidem, quia totum erat de auro purissimo. Et qui sublimia dei mysteria intelligunt, synceram Christi doctrinam profitentes & verbo & opere, velut aurum in ecclesia refulgẽt. Ascensum purpureum, vocat prædictum velum, eò quòd in columnis erigebatur in altum: purpureum quidem, quòd erãt ibi varietates purpura intertextæ. Hoc nonnihil habet arcani, quòd eximiam martyrum perfectionem in effusione sanguinis præfiguret. Media verò charitate constructum est, quia post velum intra sanctum sanctorum super pauimentum erat arca, in qua erant tabulæ, & vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat: hæc autem erant diuinæ charitatis erga populum indicia, idcirco addidit propter filias Hierusalem, propter scilicet populum Israeliticum, cui Hierusalem metropolis erat futura, pro cuius salute ante propitiatorium fiebant à summo sacerdote orationes. Etiã Christus nulla alia caussa ista omnia ecclesiæ ornamenta construxit, nisi quia dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam deo, in odorẽ suauitatis, vt ad cæleste reclinatorium, multis laboribus, ærumnis, flagellis, verberibus, fame, siti, eculeis & carceribus perueniremus, & per gradum purpureum ascenderemus. Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lętitiæ cordis eius. *Ad contemplanda huius mysterij secreta, rudes, squallidi, & scelerati non conuocantur, sed duntaxat ingeniosi, mundi, & qui perfectos habent sensus ad discretionem boni & mali.* Egredimini filiæ Hierusalem, & optimi Christiani, de lutulentis vitiorũ fæcibus, de caligine mũdi, de maledictionis, incredulitatis, & perfidiæ domo, ad visendum Christum in humanitate, quam de purissima virgine suscepit, insigni diademate coronatum, & in paternæ maiestatis dextera collocatum, qui dixit Caiphæ, & cæteris Iudæis, Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis dei, & veniẽtem in nubibus cæli. Et aliubi, disserens de extremo iudicio, dicit, Videbunt filiũ hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa, & maiestate. Et prius dixerat suis discipulis, Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Aliter quidam exponũt hunc locum, Semper præ ocu-

Exod. 36. Galat. 2. Exod. 25. Exod. 36. Ephes. 5. Matth. 26. Matth. 24. Matth. 16.

lis habete sanctæ animæ, regem Salomonem, pacificum nostrum, qui Christus est, quemadmodum passionem sustinuit, vt genus humanum ab interitu liberaret, inspicite eum in diademate quo coronauit eum mater sua illa spinea corona, quam capiti eius Synagoga superposuit, in die desponsationis eius, quæ primum facta est in lege, cum tenera sponsa ab optimo legumlatore dotalia munera accepit. Vniuersam tamen ecclesiam sibi Christus despondit, quando in ara crucis, omnes in se credentes edocuit: quos etiã Pau-
2.Corint.11. *lus despondit vni viro, virginem castam exhibere Christo. Et cum Christus fuit à terra*
Ioan.12. *exaltatus, omnia ad seipsum attraxit, quod certè nobis maximum lætitiæ argumentum præbuit. Nouit enim Christus summam gratiam, quam nobis sua passione condonauit, cuius beneficijs nostra omnia studia debent referri acceptissima.*

ARGVMENTVM QVARTI CAPITIS.

Sponsus ipsissimam suæ sponsæ imaginem, & elegantissima natiuæ pulchritudinis liniamenta, non solùm exquisitissimo penicillo, verumetiam viuis coloribus, & selectissimo artificio depingit, quam à castis & verecundis oculis, atque à reliquo totius corporis candore, magnopere commendat, à cuius ore nihil egreditur, quod non sit suauissimo melle dulcoratius, & ambrosio mali punici odore longè fragrantius, & ea corporis & animi munditia nitet, vt de pulchritudine & castimonia iure possit cum ipsis virtutibus contendere, nihilque in ea desiderari potest, quod non sit omni ex parte beatum. Quid me hercules felicius vnquam, & optabilius sponso contingere potuit, quàm inuenisse sponsam, in qua nulla est macula, nullus turpitudinis næuus, nulla denique ruga: sed omnia sanè in ea, tanquam in vno venustissimo flore absolutissima sunt.

CAPVT QVARTVM.

QVàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarũ, absq; eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua: & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorũ tuorum, & in vno crine colli tui. Quàm

pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa! Pulchriora ſunt vbera tua vino,& odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa: hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula,& cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuētium, quæ fluunt impetu de Libano. Surge aquilo,& veni auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

QVàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui colūbarum abſque eo quod intrinſecus latet. *Eo ſpōſus amore in ſuam ſponſam æſtuat, vt non ſatis poſſit eximiam eius pulchritudinem commendare, quam non ſolùm vocat pulchram, elegantem,& decoram, verumetiam mira cum quadam repetiti ſermonis gratia, omnium pulcherrimam & mundiſſimam prædicat. ſed hæc ſuam habent hiſtoriā. Sublimiori philoſophia, arcanum hoc excutiendo myſterium, dicimus, eccleſiam abſterſis vitiorum ſordibus,& abraſa inueteratorum ſcelerum conſuetudine, mirum in modum Chriſto placuiſſe, quam à gemina pulchritudine laudat, fidei ſcilicet & operum, aut à prædicatione,& honeſtis vitæ officijs. Primarij etiā eccleſiæ antiſtites duplici honore digni ſunt, modo ſuis præſint & verbo & opere. Dicit enim Paulus ad Timotheū, Qui bene præſunt preſbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* 1. Timot. 5. *Nec abſurdè conferūtur oculi ſponſæ, oculis columbarum: nam quemadmodum columbis nihil eſt ſimplicius, nihil deniq; benignius, ita hæc vnica ſponſa Chriſto amiciſſima, nihil eſt ſimplicius, nihil purius, nihil deniq; ſanctis viris tractabilius, qui nec ſua nouerunt extollere ſtudia, nec optimis aliorum operibus & monimentis inuidere. Porrò in proſperis non ſuperbiunt, nec inſoleſcunt, nec in aduerſis deijciuntur, & illibata conſcientia, ac puritate vitæ, magis deo quàm hominibus placere contendunt. Mihi Paulus columbinis oculis exornatus, præclarè viſus eſt dixiſſe, An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Galat. 1. *Voluit & eccleſia ſoli Chriſto placere, huic ſoli ſponſo indiſſolubili nexu adhærere, nec ſuos vnquam oculos elato ſupercilio ad prædam huius inſtabilis ſeculi inflexit, nec inſtar vulturū inhiauit cadaueri, & hiſce temporaneæ vitæ opibus & honoribus, ſed ſyncero ſui ſponſi amore cōtenta vixit: quam (vt conijcere poſſum) admiratur Chriſtus & extollit, non ſolùm à candore corporis, verumetiam & animi. cuius munditiės & honeſtas, non tam ſub omnium oculos poſita eſt, quàm quòd introrſus & in intimo mentis receſſu lateat. Idcirco appoſitè dictum eſt, abſque hoc quod intrinſecus latet, itaq; miram quandam exterius præ ſe fert gratiam. Laudatur quippe eximia corporis forma & pulchritudo, qua plerunque non tam alliciuntur oculi, quàm rapiuntur; magis tamen animi pulchritudo & venuſtas extollitur. Illa ſiquidē tandem flacceſcit & perit, hæc verò perpetuò floret & durat, diutiúſq; perſiſtit, cùm euange-*

Esa.40. Ecclesi.14. Iaco.1. 1.Petr.1. *lica pietate & sapiëtia illustratur. Omnis quippe caro vt fœnum, & omnis gloria eius, tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit. Verbum autem domini, manet inæternum.* Capilli tui sicut greges caprarũ, quæ ascenderunt de monte Galaad. *Galaad, aceruus testimonij interpretatur. Mysticam sectando intelligentiam, possunt per capillos, illi qui ex circuncisione crediderunt, designari: hi ascenderũt de monte Galaad, quia per testimonia sacrarum scripturarum, venerunt ad fidem. Exprimitur & capillis, ornamentũ capitis, & præsertim in mulieribus. Mulier enim, si co-* 1.Corint.11. *mam nutriat, gloria est illi, quoniã capilli pro velamine ei dati sunt: oblectant & sponsum cinnamei, & aurati huiusce sponsæ capilli, & crines multifidi, & compositissimo ordine distincti, latius patent & distenduntur, quàm greges caprarũ. Et idcirco secundum allegoriam, Ecclesia populum illum in ornamento quammaxime habet, qui ex circuncisione primitus fidem amplexatus est. Aut si mauis, gentiles intellige, qui diuëditis suis facultatibus, certatim contenderunt adorare Christum in cunis iacentem, & contemptis fortunæ bonis, ac relictis parentibus, sequuti sunt dominum. de quorum matre* Esaiæ 54. Galat.4. *scriptum est, Lætare sterilis, quæ non paris, erũpe & clama quæ non parturis, quia plures sunt filij desertæ, quàm eius, quæ habet virum. Sed paulisper insistemus similitudini, de capillis, & gregibus caprarum adductæ. Quemadmodum capræ ascenderũt, & creuerunt in magnum numerum, in monte Galaad, per generationẽ carnalem: ita christiani, in copiosissimum numerum creuerunt, per regenerationem spiritalem, scilicet per sacram baptismi ablutionem. Et vnum adnotare licebit huic sententiæ commodissimũ,* Nume.32. *quòd in monte Galaad, & in tota terra Basan, quæ huic mõti adiacet, magis multiplicãtur greges caprarum quàm aliubi, sicut accidit vni regioni & terræ, vt sit aptior ad generandum, altera, & longè fertilior: idcirco terram illam petierunt filij Rubẽ in sortem, tanquam maiores: non absonè igitur capilli ecclesiæ, & christiani, qui in maximũ creuerunt numerum, conferuntur gregibus caprarũ. cùm enim præcepta legis ruminantur, & fide cælestia contemplantur, munda sunt animalia, quæ caprarũ instar, alta atque sublimia depascuntur animo.* Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. *Detonsis ouibus nihil albius, ita Euangelistis, Apostolis, & doctoribus exuto veteri homine, & detonsa sordium omniũ iugi scabie, nihil purius, nihil denique candidius, qui cibum præmansum alijs impertiunt, & spiritalem alimoniam è sacra Eucharistiæ mẽsa collectam, famelicis largiuntur. Ascendunt autem de lauacro, cùm fonte baptismatis abluti, & viuis aquis repurgati, in sublimem euangelicæ philosophiæ intelligentiã subuehuntur, & subuecti, felicissimam beatorum sedem conscendunt, nec simplici charitatis, aut fidei fœtu ditantur, sed gemellis, & gemino charitatis erga deum & hominem partu locupletati, ditissimos misericordiæ thesauros effundunt omnibus, & aperiũt. id-* Matth.13.& 25. *circo rebus omnibus affluentes, sterilescere non possunt. Habenti enim (vt dicit Christus in euangelio) dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur ha-* Augustinus. *bere, auferetur ab eo. Augustinus proferens hunc locum, libro 2. de doctrina christiana, capite 6. ostendit quantum habeat roboris & momenti, oratio figurata in sacris literis,*

vbi dicit, hanc exponẽdo similitudinem, Dentes ecclesiæ, esse sanctos, qui præcidunt ab erroribus homines, & in eius corpus emollita duritia, quasi demersos transferũt. Oues verò detonsæ sunt, qui oneribus secularibus, tanquam velleribus depositis, ascẽdunt de lauacro, id est, de baptismate, vt creent omnes geminos, id est, duo præcepta dilectionis: & nullus est ab isto sancto fructu sterilis. Sunt qui dicunt, præsentem hanc enarrãtes historiam, in regione Basan calidissima, greges ouium lauari in aquis, qui cum primum loti fuerint, ascendunt in montem Galaad, & cæteros montes circumadiacentes, & ita fiunt oues admodum albæ & pingues, & in tantum crescũt numerum, vt nulla, careat prole, imò geminos pariunt fœtus, præter consuetudinem ouium & caprarum, aliarum regionum. Nec mediocris hæc est laudatio in fœcũdissima christianorum propagatione. Primùm dulci comparatione tonsarum, vt dicit Ambrosius libro vno de iis, qui mysterijs initiantur, cap. 7. Capras enim & in altis pasci sine periculo nouimus, & in præruptis securas cibum sumere. Deinde cùm tondentur, deonerari superfluis. Harum gregi comparatur ecclesia, multas in se habens animarum virtutes, quæ per lauacrum, superflua peccata deponant, quæ mysticã fidem, & moralem gratiam deferant Christo, quæ crucem domini Iesu loquãtur, in ijs formosa est ecclesia. hæc ille. Ambrosius. Sicut vitta coccinea, labia tua, & eloquium tuum dulce. *Coccum, color est sanguinis, vitta coccinea, mitra dicitur. Raab illa meretrix, quæ saluari meruit, & Israelitico populo associari, coccineum funiculum, in signum salutis, per fenestram suæ domus appendit, quapropter hæc pensiculatim explicãdo mysteria, dicimus, illorũ labia esse coccinea, & valde decora, qui cruentã Christi mortem, & sanguinẽ, ob naturæ humanæ reparationem effusum, iugiter prædicãt, nihilq; existimãt se dulcius inuenisse, quod palàm apud christianos loqui possint, & decantare: sicut & Apostolus ait, Nihil me arbitror inter vos scire, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Per coccum, etiam flamma charitatis (authore Gregorio) intelligitur, qua prædicatores ardent, & per eos alij accenduntur, per quos eloquium sanctæ ecclesiæ dulcoratur. quia dum, quæ dicunt, faciunt, prædicationes suas hominibus, quasi sapidas escas apponunt. hæc ille. Nec quicquã habes, quod cum castis, sobrijs & verè aureis Christi & ecclesiæ, eloquijs conferre possis. Et licet flexanima illa oratorum eloquentia, & suada medulla plurimum habeat energiæ & momenti, ad exercendos hominum affectus, ad deniq; persuadendum & oblectandum, vt totum hominẽ ad se alliciat, rapiat & pertrahat: minus tamen potest, quàm sacra, composita, & temperata Christi eloquentia. Illa siquidem suos habet fucos, melle & verborum lenocinijs illitos, quos popello, & ignauis diuenditat: hæc à fuco, fucatísque sermonum blandimentis, & laruata sapientia abhorret. Illa vrbes, & augustissima regũ palatia lustrat & incolit: hæc vilissimo contenta est tuguriolo, & tenui casula. Illa denique sua dilatat phylacteria, & primas honorum partes ambit, suásq; vulgo phaleras, nec sine superba sui nominis iactantia, ostentat: hæc verò honorum contẽptrix, res humanas & caduca quæque ac fluxa despicit, nihilq; docet, quod non sit sanctum, pudicum & syncerum, quã qui sequitur, versatilem fortunæ rotam ridet, nihilque putat sibi esse iucundius, & expetibilius, quàm Christo adhærere: de hac enim eloquentia, scri-*

Iosue 2. 1. Corint. 2. Gregorius.

Deutero.32. ptum est in Deuteronomio, Concrescat in pluuiã doctrina mea, fluat vt ros eloquium
Iob.5. meum. De hoc etiã eloquio dicebat Iob ad deum, Ponam eloquium meum. & Psalmogra
Psalm.11. phus, Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ pur-
Psalm.17. gatum septuplum. & alibi, Eloquia domini igne examinata. & rursum, Quàm dul-
Psalm.118. cia faucibus meis eloquia tua. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. In genis rubore perfusis, verecundia: in malo verò punico, Christi passio exprimitur. Illi igitur in facie ecclesiæ decorem obseruãt, qui comitante verecundia castitatẽ amplexantur, eiúsque studium vnicè colunt. Habet etiã sponsa ruborem in genis, cum sacramentum dominicæ crucis, verbis fatetur, & factis probat. Aut genæ ecclesiæ, sunt sancti martyres, qui imitando Christi passionem, roseo sanguinis sui decore perfunduntur, absque etiam eo, quod intrinsecus latet, scilicet præter castitatis & martyrij meritum. Fragmine siue fragmẽto mali punici rubicundo, & cortice exterius puniceo, voluntas martyrij designatur, quæ facto laudem meretur. De natura & virtute mali punici, abundè disserit Plinius libro 23. cap. 6. Sicut turris Dauid, collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent in ea, omnis armatura fortium. Dauid extruxit turrim altissimam in
2.Regum 5. monte Sion, vt esset specula ad præuidendum inimicos eminus venientes contra Hierusalem, quam multis armorum præsidijs muniuit, vt ab hostibus ciues facilius protegerentur. Hac autem arce & turri altissima, adumbrabatur excellentissimus Apostolorum status, qui in eminentissimo & dignitatis & doctrinæ loco constituti, veluti oculatissimi speculatores, circunspicerent, qui nam ecclesiasticam arcem inuaderent, & inuictissimum euangelij propugnaculum concuterent, quorum tela, gladios, enses, & munimenta omnia, diuino adiuti subsidio, perfregerunt. Hæc deniq; turris dici potest, perfectio vel doctrina sanctorum, quæ non à se, sed à Christo ædificata est, cùm propugnaculis, tum sacrarum scripturarum testimonijs, quibus hæretici & infideles debellantur. Aut conuenienter, hæc turris, dicetur canonica cùm veteris, tum noui testamenti scriptura, quæ per spiritum sanctũ, velut turris excelsa constructa est, in qua mille pendent clypei: quot enim sunt in diuinis libris præcepta, tot sunt nostræ fidei, nostríque pectoris munimenta, quibus protecti, aduersus callidissimas dæmonum insidias, & pestilentissima hæreticorum dogmata stamus & resilimus. Et hic numerus, per pleni-
Psalm.104. tudinem vniuersitatis, & hyperbolicè accipitur, sicut in Psalmo, Verbi quod mandauit in mille generationes, tanquam diceret, in omnes generationes. Hunc enarrans lo-
Gregorius. cum beatus Gregorius dicit, Bene igitur sicut turris Dauid, collum sanctæ ecclesiæ dicitur, quia sancti prædicatores procul venientes hostes sanctæ ecclesiæ speculantur, & fortiter resistunt, si quid in ecclesia lædere conantur, & liberè terrena despicientes, cælestia contemplantur. Collum ergo propter hostium speculationem, turris verò propter fortitudinem. & cum propugnaculis, turris Dauid ædificata est, quia sancti prædicatores contra aduersarios homines, si necesse sit, miraculis armãtur: contra vitia autem se clypeis muniunt, quia ne spiritualibus hostibus succumbant, virtutibus se defendunt: in quibus omnis armatura fortium pendet, quia quisquis hostium cuneis fortiter resi-

ftere vult, in eis exempla videt, quibus armatus hostes strenuè valet superare. Mille autem hic, pro perfectione ponitur, quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur. Hæc ille. Duo vbera tua ficut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. *Duo ecclesiæ vbera, duo sunt testamenta, duobus hinnulis capreæ gemellis, id est, duobus populis coaptata, circũcisionis scilicet, & præputij, ex peccati traduce natis: quæ tamen pascuntur in lilijs, dum sanctorum exemplis, & sana doctrina proficiunt, quibus præfecti sunt aliquãdo duo duces, Petrus scilicet, & Paulus: illi siquidem creditũ est circuncisionis euangeliũ, huic verò præputij. Donec quidem aspiret dies, & inclinẽtur vmbræ, hoc est, donec beneficijs Christi, & amplissima gratia nobis collata, antiquatis veteris testamenti vmbris, & nouo sole Christianis oborto, absorbeatur, quod mortale est.* Galat. 2. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. *Hoc monte, altissima vitiorum mortificatio, & colle thuris, sublimis humilitas exprimitur. Et sensus est, coniungar illis qui carnis vitia mortificando, & detersis lachrymarũ fonte sordibus, in summum virtutis fastigium conscenderunt.* Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. *Eam sibi sponsa munditiam præ se fert, vt ne quidem vlla vnquam labecula fœdari & coinquinari potuerit, nec sola facie nitet, sed toto corpore, quid dicam corpore? imò eximius & corpori & animo candor inest: nec tam dicenda est pulchra, quàm ipsa pulchritudo. Hoc sibi vult dramatica historia. Accommodemus & hanc mũditiam ecclesiæ, de qua dicit Paulus ad Ephesios, Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mũdans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata: nec solùm in martyribus sancta est & pulchra, sed etiam in confessoribus, eruditis virginibus, in continentibus, eleemosynarijs, ac pœnitentibus. Sed obreperet facilè scrupulus, cum tota ecclesia precetur sibi cõdonari debita, quomodo caret labe & ruga? oramus enim vt animi sordes abluantur, & quotidiana vitia. Dicam, vt hunc discutiam scrupum, quod ab Origene didici, qui homilia secũda, in primum lucæ caput ad locum illum, Erant autem iusti ambo in conspectu dei docet bifariam aliquid esse sine peccato: alterum sit, nunquam omnino peccasse: alterum verò, desijsse peccare. Primus modus, nulli competit puro homini, nisi dei gratia à lapsu præseruetur: secundus, viris sanctis, & beatè viuentibus, accõmodatur: fieri enim potest, vt qui antè deliquerit, desierit peccare, & sine peccato esse dicatur. hac forma dominus noster Iesus Christus sibi exhibuit gloriosam ecclesiam, non habentem rugam neque maculam, quam sacro baptismi lauacro repurgauit, & sui sanguinis effusione abluit. nec ab Origene dissidet Augustinus, dicens sermone 29. de verbis apostoli, Licet ecclesia non habeat rugam neque maculam, nunquam tamen est in hac via sine peccato quotidiano, id est, veniali. nam precando deum dicit, Et dimitte nobis debita nostra: & libro secundo, retractationum, capite 18. dicit, Non ita accipiendum est, ecclesiam non habere rugam, neque maculam, quasi iam sit, sed quæ præparatur vt sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc autem propter quasdam ignorantias, &*

Ephes. 5. Matth. 6. Origenes. Lucæ 1. Augustinus. Matth. 6.

infirmitates membrorum suorum, habet vnde quotidie dicat, Dimitte nobis debita nostra. Plura de hac re scripsimus libro 5. nostræ Theosophiæ, capite 4. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Libanus, candor interpretatur, siue dealbatio: Amana, iniquitas: Sanir, lucerna: Hermon, consecratio. Sunt qui dicunt Amana, esse montem Ciliciæ, Sanir & Hermon, montes Iudææ, in quibus leones habitant. Aut hæc tria, dici nomina montium vltra Iordanem existentium. Capita montium, sunt principes: cubili leonum, superbia magnatum exprimitur: & montibus pardorum, crudelitas maligni spiritus, & hypocrisis simulatorum hominum. Vult igitur sublimis hæc allegoria, ecclesiam candore & puritate sacri baptismatis, ac veste nuptiali exornatam, ad Christum contẽdere: nisi enim quis purissimum candorem in sacro Christi lauacro, quo peccata abluuntur, perceperit, ad Christum proficisci non potest. Vnde scriptum est, Asperges me domine hyssopo, & mundabor. De Libano ergo, sancta ecclesia ad coronam venit, quia in Christi baptismo fidem percipit, sub qua, cum Christi gratia, meretur, vt præmium aliquando obtineat. Et sponsus ter hortatur suam sponsam, vt veniat. Nam tribus instructa virtutibus, fide scilicet, spe, & charitate, amplexibus sui sponsi summa cum voluptate perfruitur. De fide enim dicitur, fide mundans corda eorum. & iterum, Sine fide impossibile est deo placere. De spe, In te domine speraui non confundar in æternum. & iterum, Spes non confundit. rursus, Quis in te sperat, & derelictus est? De charitate, Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Potest & aliter intelligi, quòd ter dicat sponsus, veni: primò, venit sponsa ad sponsum in carne per bona opera: secundò, absoluta carne, ad percipiendam vitam æternam: tertiò, recepto corpore, ad fruẽdum post resurrectionem perfectis gaudijs. Prostratis autem fidei hostibus, victa dæmonum lucta, debellatis leonibus, domita superborum arrogantia, & concussis pardorum ac crudelium montibus, immarcessibilem, ac immortalem coronam nanciscetur. Nulla siquidem corona gloriosior est illa, quæ de honestissimo generosissimi certaminis labore parta est. Idcirco rectè dicebat Paulus, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus, in illa die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius, quos Christus post euictam improborum iniquitatem, illuminat, consecrat, ipsósq; coronat: illorúmq; humilitatem optimo pensat præmio, qui superbos prostrarunt, & erectum elatorum supercilium subiugarunt. De quibus scriptum est, Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Illi verò de cubilibus leonum veniunt, qui de magnificis ac amplissimis regum palatijs, ad amplexandum fidei vexillum cursitant: de montibus verò pardorum, qui sedatis arrogantiæ fluctibus, & relictis philosophorum studijs, magna cum animi simplicitate ad Christum properant. Et quia pardi variegatis coloribus, gestant in cute maculas, clanculum tamen obtectas, hypocritæ, montibus pardorũ designari possunt, qui affectata laudis gloria, & prætextato religionis candore, pietatem, & vitæ

Psalm.50. Act.15. Hebr.11. Psalm.30. Rom.5. 1.Corint.13. 2.Timo.4. Esaiæ 40.

sanctimoniam simulant, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus, qui denique comedunt domos viduarum, oratione longa orantes. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. *Exprimitur hic tropus, & modus loquendi, quo ardentissimus sponsi erga suam sponsam amor agnoscitur, nec quicquam expressius dici potuit & elaboratius, quo feruentissimum amoris incendium patefieret: hac ardenti flāma aduritur sponsus, nec absque corculo suæ sponsæ viuere potest: quicquid pensitat, in sinu eius infixum est, nec quicquam animo versat, quod non hunc spiret amorem. Nonnihil hic latet arcanum. Desiderium repurgandæ ecclesiæ, & eripiendi oues à voracissimis luporum morsibus, pectus Christi, & cor illibatum transfixit, & ita vulnerauit, vt ne quidem horula quieuerit, donec pro amicis suis animam posuerit: Bonus enim pastor animam suam dat pro ouibus suis. atque iterum, Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et in syncera dilectionis oculo vulneratum est cor sponsi, quòd sponsa, siue ecclesia, spretis cæcæ fortunæ diuitijs æterna bona amauerit, & suspexerit. Vnde dicit propheta, Vnā petij à domino, hanc requirā, vt inhabitem in domo domini, omnibus diebus vitæ meæ. Et in vno crine colli sensit hoc vulnus, quòd non studuerit ornari visibilibus, sed æternis. aut fortè, vnus oculus & crinis colli, est credentium populus: quem Christus ita dilexit, vt atrocissimum mortis supplicium pro eo pertulerit.* Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! Pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. *Ne venustissimus corporis candor, & pulchritudo mā marum ac verū te irretiat, & suis obuoluat pedicis, à litera ad spiritalem intelligentiam demigra, & ad intelligenda hæc mysteria conuertas animum. Nomine mā marum, sancti & admirandi doctores exprimuntur, qui tyrones fidei, & neophytos, lacte nutriunt, donec ad perfectam morum probitatem euecti fuerint, quos tandem solido cibo educabunt. Nos Paulus ad Romanos cohortatur, vt infirmum in fide assumamus, non quidem in disceptationibus cogitationū, quem vult ad tempus olusculis victitare. Per mā mas etiam, hoc in loco conuenienter dilectio dei & proximi intelligitur, per quas mens sancta omnes sensus suos suaui dilectione nutrit, cū deo tenacissimè conglutinatur. Sed miraberis forsitan, hanc sponsam, esse sororem sponsi: sed ne hæc te obturbet admiratio, dicā, hanc esse sponsam per fidem, & sororem per dilectionem, sunt etiam vnius & eiusdem carnis, saltē mysticæ, & eiusdem animi. Nec mentitus est Abraham, cū dixit: Saram esse suā sororem, quia erat ei propinqua sanguine, referens eam esse filiam fratris sui, vt dicit Iosephus, libro 1. antiquitatū Iudaicarum, capite 20. sicut etiam Lotb dictus est frater Abrahæ, quòd esset filius fratris eius. Itaque inquit Augustinus lib. 16. de ciuitate dei, capite 19. Abraham vxorē tacuit, nec tamen negauit, coniugis tuendā pudicitiam cōmittens deo, & humanas insidias cauens vt homo, quoniam si periculum, quantum cauere poterat, non caueret, magis tentaret deum, quàm speraret in deo. Non desunt qui dicant, Abraham mysticè loquutum, cum dicebat Saram esse suā sororem, nam eam vocabat sororem, secundum virtutem animi. Sed de*

Mat. 6. & 23. Ioan. 10. Ioan. 15. Psalm. 26. Roma. 14. Gene. 26. Iosephus. Augustinus.

hac re plus satis. De vberibus sponsæ vino pulchrioribus, quæ suauius spirāt odoramētum, quàm pigmenta & pretiosissima aromata, diximus in explanatione primi capitis huius libri, quibus & apostoli, & apostolici viri designantur, quorum studia, labores, & merita fragrantissimos balsami & aromatum odores longè præcellunt: & hic odor vnguentorum super omnia aromata, dici potest, distributio gratiarum, quæ per spiri-
1.Corint.12. *tum sanctum cōcessa est, quam Apostolus declarat, dicens, Alij per spiritū datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum, &c. Aliter, hæc vnguēta dicuntur virtutes, quæ à charitate proficiscuntur. Habent etiā reprobi nōnunquam aromata, quibus redolent, quia tamen in studio charitatis non persistunt, vix quicquam agere possunt, quod deo placeat: qui in horrendo illo iudicio dicent iudici æquissimo, Do-*
Matth.7. *mine in nomine tuo prophetauimus, in nomine tuo dæmonia eiecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus, quibus respondebit iudex, Nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. *In fauo, mel latet, & cera videtur. Apposite igitur mellitissima sponsæ labia, fauus vocantur, quia cum in fragili humanæ carnis vasculo latet sapientia, quasi mel in cera occultatur: quando verò sapiens arcana rerum diuinarum mysteria aperit & reuelat, tunc fauus distillat. Docet & Paulus, thesaurum euangelicæ sapiētiæ in vasis fictili-*
2.Corint.4. *bus reconditum esse. Habemus, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis dei, & non ex nobis: nec fulget illis illuminatio Euangelij, quorum mentes vitijs excæcatæ sunt. Mel etiam suauissimum, quod in fauo latet, dici potest*
Coloss.2. *plenitudo diuinitatis, quæ corporaliter in Christo inhabitat, & velamento preciosissimæ humanitatis tegitur. Aliter, fauus distillans labia, expositio sacrarum literarum vocabitur, mellis & lactis dulcorem in se continens. In lacte, eruditio paruulo-*
1.Corint.3. *rum: sicut dicit Paulus, Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potū dedi, non escam: in melle verò, solidior perfectorum doctrina exprimitur & spiritalis diuinorum eloquiorum intelligentia: mel enim ceram distillat, & singulæ bibliorum sententiæ, multiplices sensus stillant & pariunt. dicit ecclesia de hoc melle & fauo apud Ecclesiasti-*
Ecclesia.24. *cum, capite vigesimoquarto, Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Labia sponsæ, sunt doctores peritissimi, qui multifariam sacræ scripturæ intelligentiam patefaciunt & explicant: vestimenta verò ecclesiæ, quibus odoratius est nihil, bona sunt opera, quibus præcedentium malorum turpitudo operitur,*
Apocal.16. *ne videatur. de quibus scribit Ioannes in Apocalypsi, Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videatur turpitudo eius. Et nobis opus est mundis & nitidis indumentis, si in sacra Christi mensa discumbere velimus, & ad nuptiale conuiuium intromitti. Nec iniuria dixit rex summus, illi, qui sordida veste amictus, in conuiuio discubuerat, Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? at cum ille obmutuisset, dixit suis ministris, ligatis manibus, & pedibus eius, mit-*
Matth.22. *tite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Ecclesiastes quoque nos monet, vt vestimenta nostra sint*

ſemper candida. & odor veſtimentorum Eccleſiæ, odori thuris confertur, quia cun- Eccleſi.9.
ctaq; quæ pro domino agit eccleſia, orationum pro ea, vicem reddunt, & in omnibus o-peribus ſuis interpellat dominum. Thus ſiquidem pro oratione ponitur, ſicut ſcriptum eſt, aſcendat oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Dici poſſunt optimi concio- Pſalm. 140.
natores, odoratiſſima eccleſiæ veſtimenta, qui puras ad dominum precationes fun-dunt. Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa: hortus concluſus, fons ſi-gnatus. *Sponſus ſuam confert ſponſam horto cultiſſimo, in quo ſunt pomaria va-rijs referta fructibus, ſunt & arbores auriferæ, vis plura? ornantiſſimis floribus, & violis odoratiſſimis nobilitatur, quibus tranſeuntium oculos paſcit, & mire oble-ctat, ad quem ſponſus propter loci amœnitatem frequenter diuertit. Nec lectiſſimi & pulcherrimi hortuli tanta vi homines ad ſe pelliciunt, quanta ad ſe ſponſa ſuum ſpon-ſum pellexit & attraxit. Hic hortus, ſancta dicetur eccleſia, quæ homines ex omni na-tione collectos, nutrit in fide, nutritos amœniſſimis virtutum floribus illuſtrat: & ex eo concluſus eſt hic hortus, quòd charitatis vallo, & omnibus ſacrarum literarum præ-ſidijs circumquaq; muniatur, ne hæreticorum obſidione & machinamentis circumuen-tus dilaceretur & diuellatur. Vnaquæq; etiam anima, hortus eſt concluſus: in quo odo-ratiſſimi pudicitiæ flores gignuntur, & infrænes animi affectus coercetur, ne acrius il-li inſultent vitia, ne etiam ad interiora loci diripienda, aſtutiſſimus hoſtis irrumpat. Hic deniq; hortus pulcherrima ſpiritalium operum germina gignit, in quo fons eſt irri-guus & lympidiſſimus, cuius virtute antiqui hominis ſordes deterguntur: & eccleſia hoc horto expreſſa, dicit, Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fru-* Eccleſia.24.
ctum. Qui etiã ſua pauperibus largiũtur, dici poſſunt hortus irriguus, & fons aquarum Eſaiæ 58.
cuius non deficient aquæ. Hunc ediſſerens locum Auguſtinus libro 5. de baptiſmo cõtra Auguſtinus.
Donatiſtas, capite 27. dicit, Hoc intelligere non audeo, niſi in ſanctis & iuſtis, non in auaris & fraudatoribus, & raptoribus, & fœneratoribus, & ebrioſis, & inuidis, qui ta men cum iuſtis baptiſmum habuerunt communem, cum quibus cõmunem vtique non ha-buerunt charitatẽ. Poteſt etiam appoſitè, mater Chriſti virgo Maria, hic hortus conclu ſus, & fons ſignatus intelligi, in cuius vtero etiã pudiciſſimo, fuit concluſus & conce-ptus dei filius. Hic caſtiſſimus hortus, caſtiſſimũ & pudiciſſimum florem peperit. cuius odore & mirabili virtute meruit, vt perpetuò floreret. Hæc virgo inculpatiſſima dice-re poteſt, Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei, fructus honoris Eccleſi.24.
& honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei, in me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis, eadem quoque peculiaris laudatio, eccleſiæ accõmodari poteſt, quæ ex eo fons appellatur, quòd cæleſtia meditando, viuã ſacrarum literarũ aquam, ſitientibus abundè ſuppeditet. hæc eſt niti-diſſima aqua, de qua dicit Chriſtus, Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet Ioan.4.
inæternum. & aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. & rurſum, Qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius. & fons iſte, ſer- Ioan.7.
mone fidei ſignatur, in quo ſublimia ſacræ ſcripturæ myſteria abſconduntur. In illo no ſtra pudico affectu proluamus labra, in illo inebriemur: hic mentem ſaginat, ſiticuloſos

reficit, & animum syncera voluptate delectat: ad hunc nimia lassitudine fatigati con-
Ecclesiast. 1. *fugiamus, vt post torrentissimum tribulationum æstum, refrigeremur. Fons sapientiæ*
Esaiæ 12. *diuinæ, est verbũ dei in excelsis, cuius meminit Esaias, dicens, Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.* Emissiones tuæ paradisus malorum punicorũ, cum pomorum fructibus. *Mala punica sub rubeo cortice multitudinem granorum continẽt, suauissimi verò pomorum fructus, gratissimum omnibus dulcorem præstant. Malis punicis, sancti martyres designantur: & pomorum fructibus, honestæ vitæ, bonorúmque operum suauitas. Cælestis igitur hæc erit intelligentia, Ecclesia purissimo sacri baptismatis fonte irrigata, paradisum emittit, quandoquidem homines quos sacro baptismate regenerat, ad cælestem paradisum, & ad spiritalium deliciarum hortũ perducit. Emittit & ecclesia ex suo feracissimo agro nõ solùm sancta opera, verumetiam floridas doctissimorum hominum homilias, quibus filios in fide gignit, genitos fouet & nutrit, quos tandem roseo martyrij cruore rubentes, ad victricem palmã, & cælestium*
Hebr. 11. *bonorum gloriã perducit. Illi sunt, qui in occisione gladij mortui, æternas repromissiones adepti sunt, qui nunc gloriantur in cælis, quòd dum hanc agerent vitam, strenuè etiam ad sanguinis effusionem vsque decertarunt, nec vitæ propriæ pepercerunt, vt non mediocrem ecclesiæ vtilitatem, vnà cum sapidissimis pomorum fructibus adferrent: qui paradisum in virtutibus plantatam, & aureis bonorum operum fluuijs irrigatam, non tam excoluerunt, quàm excultam adauxerunt, & velut aquæ ductus de cælesti alueo*
Apocaly. 2. *& gurgite suum irrigantes hortum, meruerunt, vt parta insigni victoria, ederent de ligno vitæ, quod est in paradiso dei.* Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe, cum omnibus primis vnguentis. *Cyprus, arbor est aromatica, semine coriandri, flore*
Plinius. *candido, odorato, vt scribit Plinius libro suæ historiæ. 12. cap. 24. & de cyprino vnguẽto disserit libro 13. cap. 1. De nardo herba, agit libro 12. cap. 12. Frutex (inquit) est graui & crassa radice, sed breui, ac nigra, fragilíque, quamuis pingui, situm redolẽte vt cyperi, aspero sapore, folio paruo densóque. De nardino verò vnguento libro 13. cap. 1. De croco syluestri optimo, libro 21. capite 6. & capite 20. differens de croci medicina, dicit, Crocũ cum melle non soluitur, nullóque dulci, facillimè autem vino & aqua. Vtilissimum in medicina: adseruatur cornea pyxide. discutit inflammationes omnes quidem, sed oculorũ maximè ex ouo illitum. vuluarum quoque strangulatus, stomachi exulcerationes, pectoris & renum, iocinorum, pulmonum, vesicarúmque, peculiariter inflãmationi earũ vehemẽter vtile. item tussi & pleuriticis. tollit & pruritus. vrinam cit. Qui crocum prius biberint, crapulam non sentient. ebrietati eo resistũt. coronæ quoque ex eo mulcent ebrietatem. somnum facit. caput leuiter mouet. Fistula (quæ & cassia dicitur) arbor aromatica est, sed modica. De cinnamomo agit abundè Plinius libro 12. capite 19. & huius arboris aromaticæ duo ponit genera: alterum candidum, alterum verò nigrũ. Verùm post hanc adnotatiunculam, nobis licebit ad institutum regredi. Cypro, cælestis gratiæ benedictio significatur: nardus, dominicæ passionis typum gerit: crocus, charitatis feruorem exprimit. Coniungitur autem cyprus nardo, cùm diuina gratia nos Christo cõnectit: &*

nardus croco, cùm feruentissima Christi charitate mortem æquo animo toleramus: fistula & cinnamomo, humilis sanctorum cogitatio exprimitur: lignis verò Libani, sublimia ecclesiæ & præclara bonorum opera, quod nobis ex Ecclesiastico, cap. 24. compertũ est. Quasi (inquit) cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in mõte Siõ, quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Hiericho. Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquã in plateis. Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa, dedi suauitatem odoris. Hæc etiam omnia, sibi vendicãt incorruptionem, & inuictam martyrum fortitudinem, innocentiam, & illibatam vitæ integritatem, in puris christianis Christi baptismate renatis: aut per has diuersas aromatum species, designatur suauissimus sanctarum virtutum odor & profectus: myrrha & aloe, arboribus quidem aromaticis, mortificatio vitiorum, & salubris pœnitentia, ac mortis Christi insignia, exprimuntur, & pulcherrima est cum prioribus vnguentis comparatio. refrenata enim carnis lasciuia, & sedatis primis insultibus, præclara spiritus sãcti munera percipimus. Ecclesia. 24.

Fons hortorum, puteus aquarum viuẽtium, quæ fluunt impetu de Libano. Debent & ad vitreos sacrarum literarum fontes contendere, & ab argenteis euãgelicæ philosophiæ puteis haurire fluenta, qui sanctiores disciplinas auide sitiunt, quo facilius suã sitim restinguant. quòd si biberint aquam, quæ ex lutulentis sterilium disciplinarum cisternis profluxit, sitient perpetuò. Idcirco prudenter dixit Christus Samaritanæ, Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quã ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitã æternam. Et hæc aqua fluit magno cum impetu de Libano, scilicet cum largitate donorum spiritus sancti, quæ nostris mentibus in sacro Christi lauacro infunduntur, & hic aquarum ac fluuiorum impetus, animã exhilarat. De quo dicit Dauid, Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei. Dicit etiam Christus in euangelio Ioannis, Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Possunt etiam fonte hortorum, significari spiritales fructus, quos gignit ecclesia, & puteo aquarũ viuentium, occulta sacræ scripturæ mysteria, & altissima profunditas: aquis verò viuentibus, diuina Christi eloquia, quæ de sacris diuinæ gratiæ thesauris emanant. Ioann. 4. Psalm. 45. Ioan. 7. 2. Parali. 16.

Surge aquilo, & veni auster, perfla hortũ meum, & fluent aromata illius. Aquilo, ventus est frigidissimus, terram congelans, & corpora rigidissimo frigore constringit, hominibúsque torporem inducit, æstuantibus tamen refrigeria præbet: auster verò, ventus est calidus. Aquilone immundus spiritus, siue diabolus designatur, qui nititur nobis ignauiam & pigritiam inducere, & quos possidet, à bono opere torpere facit: austro verò, spiritus sanctus figuratur, qui mentem hominum contingendo, oscitantiam & torpedinem discutit, & fugat, nósque facit summo amoris incendio erga Christum æstuare. De clementia austri dicit Dauid, Conuerte domine captiuitatem nostram, sicut torrens in austro. Debemus igitur precari, vt spiritalis aquilo (si nos læserit) discedat, aut interpellare, ne animum nostrum feriat, & nobis auster suum aspiret genium, & sua benignitate perflet amœnissimum ecclesiæ hortum, in quo flores spirant odorem aroma- Psalm. 125.

tibus fragrantiorem, & iustissimæ actiones, ac præclara sanctitatis officia, & virtutum odores, spiritu sancto se infundente per omnium animos suauissimè redolent.

ARGVMENTVM QVINTI CAPITIS.

Sponsa suum ad se sponsum allicit, nec tam cupit vt ingrediatur hortum floridissimum, quàm quòd suauissimis amœnissimi hortuli delicijs fruatur, in quo muscosi & argentei fontes renitent, & castissimæ virtutum omnium musæ sanctissimas deo cantiones occinunt: & qui ad hunc voluptatis hortum diuertunt, nectareis floribus, & fragrãtissimis violis pascuntur, ac perlucidis aquis à largifluo fonte scaturientibus, suam abundè sitim restingunt, & qui lotis pedibus hanc deliciarum omnium paradisum ingrediuntur, nocturnis vigilijs, gelido rore, & sacris imbribus, madefiunt & irrorantur. Prospiciunt & dulciculam sponsam cum suo sponso cultissimo iuxta vmbrosos fontes, liquidissimos aquarum riuulos, & lympidissima vndarum fluenta, non dicam garrire, sed de rebus diuinis verecundè confabulari.

CAPVT QVINTVM.

VEniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis. comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinũ meum cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis, Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dilectus meus misit manũ suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. quæsiui & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi. Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem. Percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum. Comæ eius, sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarũ, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima. Genæ illius, sicut areolæ aro-

matum consitæ à pigmentarijs. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphiris. Crura illius colũnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius, vt Libani: electus vt cedri. Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, & iste est amicus meus filiæ Hierusalẽ. Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?

VEniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. *Nihil est quod tam possit arctissimum coniugij fœdus, & illibatam amicitiam tueri & conseruare, quàm iucundè simul viuere, familiariter colloqui, & iisdem in eodem casto hortulo, vesci cibis, vna & eadẽ frui mensa, nunquam animo dissidere. huiusmodi felicitate & gratijs, nobilitantur Christus & ecclesia, expressissimã sponsi & sponsæ imaginẽ gerentes, nec minus desiderat ecclesia Christum suam ingredi domum, quàm quòd optabat sponsa sponsum ad suum hortum diuertere: cum autem Christus venit in ecclesiam suam, eam ipse conseruat, vbique castam, & immaculatam, eiúsque alumnos dulcissimis & fidei & sanctorum operum fructibus fouet & pascit, cui gratissimi sunt, & martyrum, & continentium labores, quibus pro temporaneo officio, æternum donabit præmium: de quibus loquitur in euangelio Matthæi, dicens, Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. & rursum, Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. atque iterum, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Non immeritò cupit ecclesia Christi obseruantissima, sponsum suos hortos inuisere, cuius præsentia coluntur & florent: absentia verò, squallent obsiti spinis. Dicat & christiani anima, Veni in hortum meũ, illabere menti meæ, inspira mihi vitæ spiraculum, & cùm sis omnis viri caput, meis teneriusculis, & imbecillioribus membris tuam influe gratiam, nec sinas cætera membra virulentis dæmonum sagittis transfigi & confodi: nec me morbis afflictatam deseras, sed mihi compatere. Si quid enim patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrũ, congaudent omnia mẽbra, nos autem corpus Christi, & membra de mẽbro, & quammaximas tibi ago gratias, quòd tua gratia sum id quod sum, nec tamen in me vacua fuit. Et cum sis caput ecclesiæ, & saluator corporis eius, præserua me à lapsu, nec permittas me in sordidissimã errorum & vitiorum sentinam decidere: fac vt hic hortulus cælesti pluuiola irrigetur, & suauissimis bonorũ omnium fructibus locupletetur, neque tuam carnẽ contemnas. Nemo enim (vt inquit Paulus) carnem suã odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiã, quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. Suauissimi ipsius sponsi fructus, dici possunt optima opera, & promptissima obedientia: Meus (inquit) cibus est, vt faciam voluntatẽ eius, qui me misit, vt perficiã opus eius, Ioan. 4. id est, vt quamplurimos*

Matth. 10. Matth. 11. 1. Corint. 11. 1. Corin. 12. 1. Corint. 15. Ephe. 5. Ibidem. Ioan. 4.

ad me conuertam, meósque discipulos faciã & amicos. Et descendit in hortum suũ sponsus quando nostris mentibus illabitur & iustorum operũ delectatione satiatur. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. *Sponsus vocat sponsam, & accersiri vult in suum hortum, vt omnibus amœnissimi horti delicijs oblectetur, profert & illi omnes sui thesauri diuitias, omnia denique sua illi detegit & aperit, nihil illi gratius esse potest, quàm in eadem mensa, cũ sua amicula discumbere, & iisdem regijs dapibus perfrui. Vocat & Christus ad suum nobilissimum hortum ecclesiam, vt eam donis omnibus, & bonorũ omnium copia ditet, nec tamen cogit, neque illam inuito animo pertrahit, subsidium tamen ei præstat, vt prompto animo paradisum ingrediatur. Hæc autem subsidiaria opera, à cælesti patre proficiscitur.* Ioann. 6. *Nemo enim (inquit Christus) potest venire ad me, nisi pater meus traxerit illum. Messuit autẽ myrrham cũ aromatibus, quãdo mortificatis vitijs, inuictissimos martyres cum cæteris electis ad maturã frugem, & æterna præmia perduxit:* Matth. 9. *cuius messis multa est, & feracissima, tametsi pauci sint operarij. qui tamen in continuo agone decertant, & in illibata vitæ sanctimonia perseuerãt, metunt vitam æternam. Comedit autem Christus in nobis fauum cũ melle, & bibit vinum lacte cõmixtum, cùm fidei & charitatis fructibus, & exquisitissimis vtriusque testamenti epulis, nos refocillauit, fauo & lacte paruulos pauit, melle & vino, perfectorum animos satiauit. Fauo siquidem parabolarum & lacte, rudiores nutriuit: mellitissima verò sublimioris philosophiæ mysteria, Apostolis & perfectioribus suppeditauit. Cũ enim dixissent Christo discipuli, quare in parabolis loqueris turbis? respondit Christus,* Matth. 13. *Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum.* Comedite amici, & bibite & inebriamini charissimi. *Amici Christi, sunt qui iussis eius obtemperant, deique voluntati obsequuntur, & secretiores rerum diuinarum rationes intelligunt. Dicit enim Christus in euangelio Ioannis,* Ioann. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Qui comedunt, amici dicuntur, qui verò bibũt & inebriantur, charissimi vocantur. tametsi igitur comedere bonum sit, bibere tamen, & viuis sacrarum literarũ aquis, & spiritus sancti donis inebriari, melius est, & expetibilius. Qui vxorem duxerũt, & liberos optimis moribus nutriunt, & cælestia magis quàm terrena diligunt, suas denique opes pauperibus impartiunt, nec vi extorquent aliena, suámque animam sanctissimis operibus illustrant, amici dicuntur: qui verò & corpus & animum deo in perpetuum obsequium consecrarunt, & diuenditis suis opibus, patrem, matrẽ, & omnia denique reliquerunt, vt sub vexillo Christi militarent, & facilius quieto contemplationis otio se totos addicerent, charissimi vocantur: & illi sunt, qui sacro rerum diuinarum musto non tam feruent, quàm inebriantur. De quibus dicit Christus,* Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ego dormio, & cor meum

vigilat. *Dormiuit Christus in sepulchro, in quo, tantillo tēpore quieuit, eius tamen cor & anima syncerè contēplabatur, & effringēdo tetros inferorū carceres à somno tenebrarū ad æternæ lucis vigilias, sanctissimos patres excitauit. Cū etiā Christus in gloria sui patris cōquiescit, in sua tamen ecclesia vigilat, quā ab infestationibus dæmonū, & incursionibus protegit. De hac vigilātia prius dixit spōsa, Cū esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suū. q autem hæc quies sit dormitio, expressit* Propheta, *dicens,* Dormiā & requiescā. *Et cū Christus dormit & requiescit, cor eius, scilicet ecclesia, aut sancta vniuscuiusq; anima vigilat: & prudentissimi ecclesiæ moderatores, quibus cura ouium concredita est, pro omnibus rationem reddituri, assiduis incumbunt vigilijs, sua à molitionibus hæreticorum castra defendūt, & ieiunijs, bonorū largitione, & precationibus, vitijs soporatos, ad splendidissimum pœnitentiæ lumen adducunt. Augustinus tractatu 57. in euangeliū* Ioannis, *dicit, ecclesiam, his verbis:* Ego dormio, & cor meum vigilat: innuere, ita quiesco, vt audiam, Otium meū non impēditur nutriendæ desidiæ, sed percipiendæ sapientiæ. *Ego requiesco à negotiosis actibus, & animus meus diuinis intendit affectibus. Sunt qui hanc Salomonis sententiam, ecclesiæ & sanctis viris accommodant, vt dicat* Ecclesia, *& hominis anima, Ego quidem in turbulētis huius mundi naufragijs (quibus mea in dies nauicula iactatur) dormio, & hac sarcina corporis prægrauata, vix possum somnum mihi obrepentē frangere: attamen promptus est meus spiritus, ad agendas excubias.* Et *hunc in me morbum agnouit Christus, cum dixit,* Spiritus quidem promptus est, caro autē infirma. *& Paulus hoc etiam telo vulneratus, induendo personam peccatoris, dicebat,* Egoipse mente seruio legi dei, carne autem legi peccati. *Consopitis tamen quodāmodo sensibus, & sedatis animi tumultibus, conquieuit, & tandem exuto veteri homine, ad æternam beatorum sedem hinc demigrauit.* Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. *Ac si diceret Christus ecclesiæ, tu vacas, & contra me ostium clausum est, tu studes otio paucorū, & abundante iniquitate refrigescit charitas multorum. Nox quippe iniquitas est, ros verò eius & guttæ, hi sunt qui frigescunt, & cadunt, & faciūt refrigescere caput Christi, hoc est, vt nō ametur deus, caput enim Christi deus, sed portantur in crinibus, id est, in sacramentis visibilibus tolerantur, sed nequaquā interiora sensus attingunt. Pulsat ergo, vt excutiat quietem sanctis otiosis, & clamat,* Aperi mihi de sanguine meo soror mea, de accessu meo proxima mea, de spiritu meo colūba mea, de sermone meo, quem plenius ex otio didicisti perfecta mea, aperi mihi, prædica me, ad eos quippe qui clauserunt contra me, quomodo intrabo sine aperiente? *Hæc* Augustinus *tractatu 57. in euangelium* Ioannis. *Hic mysticè agnoscimus clementiā Christi, & propensissimā erga nos amicitiā, qui prius pulsat ad ostium nostræ mētis, vt ingrediatur, quàm ad eius ostium pulsemus: in illo feruor amoris, in nobis verò tepor: in illo, diligentia, in nobis ignauia, & torpedo: pulsat quod pulsare deberemus, sed præuenit, nostri animi ostium pulsando, vt diuina adiuti gratia, fores regni cælestis (quod violēti rapiūt) pulsemus. Dicit enim in* Apocalypsi, *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperue-*

Cantic. 1. Psalm. 4. Augustinus. Matth. 26. Rom. 7. Augustinus. Apocaly. 3.

rit mihi, introibo cum illo, & cœnabo cum ipso, & ipse mecum. Pulsat autem dominus, quando vtilissima præcepta nos docet, & occulta inspiratione sanctorum corda ad benefaciendum instigat. Aperit autem ecclesia, cùm intima pectoris, & abditissimas sui cordis cogitationes illi patefacit: neque pœnitentis animũ subingreditur, nisi defletis puro affectu delictis, suam ingenuè culpam fateatur, & agnoscat. Caput autem sponsi,
1. Corin. 11. *siue Christi plenum rore, deus est. Dicit enim Paulus, Caput Christi deus, & rore, fri-*
Hierem. 6. *gora mentis carnalis exprimuntur, de quibus dicit Hieremias, Sicut frigidã facit cisterna aquam, sic frigidã fecit malitiam suã. Caput ergo Christi plenũ est rore. quia aucta*
Matth. 24. *malorũ impietate, refriguit charitas, sicut dicit Christus, Vbi abundabit iniquitas, refrigescet charitas. Per cincinnos aut capillos capiti adhærentes, populum intelligimus fide collectum: sed oppletur guttis noctiũ, cùm refrigerato erga deum amore, atra vitiorum caligine obtenebratur.* Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? *Sponsa fide ad Christũ properans,*
Ibidem. *squalidam exuit vestem, secularia deseruit negotia. Fidelissimum enim Christi seruum oportet à terrenis abduci ad cœlestia, nec imperiosis & grauissimis curis implicari. Ne*
2. Timot. 2. *mo (inquit Paulus) militãs deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se pro-*
Act. 6. *bauit. Prudenter quoque dicebant Apostoli, Absit, vt relinquamus verbum dei, & mini-*
Coloss. 3. *stremus mensis. Primũ igitur exuamus veterem hominem cum actibus suis, & nouum induamus, qui reformatur in agnitionẽ secundum imaginem eius, qui creauit illum: at vbi hanc detritã vestem expoliauerimus, lotis pedibus ad Christũ iucundè properabi-*
Luc. 22. *mus. de hac tunica scriptum est, Qui habet tunicã, vendat eam, & emat gladiũ. & ille, pro terrenis, sibi cõparat æterna: & gladiũ spiritus, quod est verbũ dei possidet. Et qui*
Ioann. 13. *audet dicere se mundum esse, non indiget, nisi vt pedes lauet. sed mirantur christiani, quonam pacto lotis lachrymarum fonte pedibus, possunt rursum coinquinari? Sed facile est hanc ab animo admirationẽ depellere, & excutere. Plerunque enim à sordibus repurgati in fœdam prioris vitæ consuetudinem relabimur, & veluti canes ad vomitum reuertimur, & fiunt nouissima, prioribus deteriora. Et licet ecclesia sit sancta & immaculata, sentit tamen in multis ministris, & vasis fictilibus, quædam scelerum inquinamenta, quæ rursum resipiscentiæ fontibus abluenda sunt. Hunc locum de lotis pedibus*
Augustinus. *profert Augustinus tractatu 56. in euangeliũ Ioannis, vbi dicit, quòd qui hic iuste viuunt, opus habent pedes lauare, quoniã sine peccato vtique non sunt: & hoc dicit sponsa Christo, laui pedes meos &c. cum cogitur ad Christum venire, & ei terram calcare conuenit.* Dilectus meus misit manum suam per foramẽ, & venter meus intremuit ad tactum eius. *Auxiliatrice dei manu nobis opus est, si quidpiam omnium commendatione dignum moliri velimus: nec in vitiorum foueam delapsi, possunt à luto pedem extricare, nisi diuino subsidio, ac Christi manu iuuentur, qua deus*
Exo. 13. *filios Israel de domo seruitutis eduxit, non sunt tamen recordati manus eius, die qua*
Iob 19. *redemit eos de manu tribulantis. & hæc manus percussit Iob, virum quidem optimum,*
Hierem. 18. *percussum tamen sanauit. Et sicut lutum in manu figuli, ita & domus Israel in manu*
Mat. 8. & 9. *dei. Hac denique manu Christus sanauit leprosum, tenuit & manum puellæ mortuæ,*

& reuixit. Mittit autem manũ suam per foramen, quãdo ecclesiam per varias & duras passionũ angustias, transire docet, cuius tactu conturbatur & extimescit. Imminẽte siquidem persecutionũ procella, contremuerũt apostoli, qui in passione Christi, passi sunt scandalum. hoc tactu, aduenientis plagæ cruciatus, intelligitur, secundum illud in Iob, *dicente Satana ad dominum, Alioqui tange ossa & carnem eius, nisi in faciẽ benedixerit tibi. Foramine verò, angusta via, quæ ducit hominem ad vitam, & operis difficultas exprimitur, sicut dixit Christus discipulis, Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. aut aliter, Christus mittit manum suã per foramen, quando occultè nostris illabitur animis, & subtiliter præcordia mentis pulsat & attingit: & venter contremiscit, cum infirmitas nostra insolitis nũtijs attonita, cælesti gratia tangitur, & metuit donec percipiat quod vix tenuiter sensit. Nonnulli dicunt hunc locũ posse intelligi de Thoma Apostolo, & in persona eius de omni incredulorũ anima, cùm Iesus illi dixit, Infer manum tuã in latus meum, & digitos in locum clauorũ, & noli esse incredulus, sed fidelis. Tunc ille de vera Christi resurrectione certior factus, tunc fide plenus, tunc venter eius, hoc est mens & animus exhorruit ad tam veram, támque mirabilẽ resurrectionis præsentiam.* Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima. *Satis dormiuit sponsa. plus satis fuit ecclesia antiquæ maculæ lethargo soporata, sed nũc expergiscitur, nec tam suis, q̃ Christi viribus excitãtur & à turpissimæ consuetudinis somno, qui sua accusando scelera, ad profluentissimum misericordiæ fontem recurrũt. & Paulina te vocat tuba, ne pigro admodũ vitiorum somno obtorpescas, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et cũ ab infidelitatis lectulo excitamur, debemus intimo corde Christũ profiteri, & mundis labris coram etiam tyrannis prædicare. Corde enim creditur ad iustitiã, ore autem fit confessio ad salutem. nec acerbitate pœnarũ, & cõminatione suppliciorũ deterreri debemus, saluberrimo Christi præcepto cõmoniti, Nolite (inquit) timere eos, qui occidunt corpus, animã autẽ non possunt occidere: sed potius timete eũ, qui potest & animã & corpus perdere in gehennã. Manus autẽ stillant myrrhã, cũ diffluunt cruore, & à cicatricibus sanguinẽ pro Christi nomine effusum testãtur. Manibus, operationes concipimus, & myrrha, carnis & affectuũ mortificationẽ. Proferũt & digiti (quibus martyres designãtur, & multa ecclesiæ mẽbra) amplissimũ respersi sanguinis testimoniũ, quorũ probatissima est myrrha, cũ omni suppliciorũ genere discruciati, ad victricẽ præmiorũ palmã peruenerũt, & eò magis laudãtur, q̃ nullis vnquã succubuerint tormẽtis, sed omnia cõstanti animo pertulerint, scientes, q̃ tribulatio patientiã operatur, patiẽtia autem probationẽ, probatio verò spem, spes autẽ non cõfundit.* Pessulũ ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atq; transierat. *Pessulum, vocãt instrumẽtum quo ostiũ clauditur, Terẽtius, Pessulum ostio obdo. Depulsis errorũ & conscientiæ tenebris, ac discussis anxij animi scrupulis, Christo credidi, eũmq; singulari amore dilexi, cuius nomen & gloriã vbique locorũ clara voce diuulgaui, & eò libẽtius, quo familiarius mecum de regno sui patris confabulabatur. quia tamen nondum sum ab ergastulo cor-*

Iob. 2. Matth. 7. Matth. 19. Ioan. 20. Ephe. 5. Roma. 10. Matth. 10. Roma. 5.

poris soluta. Idcirco declinauit, & ab oculis meis euanuit, nec mihi datum est lympida
1.Corint.13. *eius visione frui. Videmus siquidem nunc, teste Paulo, per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. aut declinat & transit, quando permittit, vt procellosum mare, & dæmonũ tempestas in nos desæuiat, sed cùm syncera fide dicimus, domine, salua nos, perimus, reuertitur, & ventis & mari imperat, vt in nobis tranquilla sint omnia, vt ex*
Matth.8. *octauo Matth. capite colligi potest. Thomas pessulum & sui cordis ostium, resurgenti domino fratri suo patefecit, cui antea infidelitate clauserat. Aliter dices, nos pessulum ostio facere, quando per voluptates carnis, aditum animi contra sponsum obseramus: pessulum verò aperimus, quando castigatis voluptatibus, nostra in amorem Christi studia inflectimus.* Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. quæsiui & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi. Inuenerũt me custodes, qui circumeunt ciuitatem. Percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. *Quando audiui, quæ mihi Christus pollicitus est, tũc cœpi istis accensa pollicitationibus, toto in meũ sponsum studio incalescere, & in eius amorem æstuare: & me vehementer mouit quod de beati-*
Matth.5. *tudine dixit. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. quoniã ipsorũ est regnũ cælorũ. Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malũ aduersus vos mẽtientes, propter me. gaudete & exultate, quoniã merces vestra copiosa est in cælis. sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. Alij dicũt ad verbũ sponsi liquefactã esse christiani animam, quia dum Christus se per spiritũ suum animæ infundit, omnem cordis duritiam mox dissoluit. quæsiuit aliquãdo sponsa suũ sponsum, nec tamen inuenit: nec enim satis est dei gratiã precari, sed assiduis opus est precationibus, vt quod tandiu à nobis efflagitatum est, obtineamus. Nec minus probat Christus nostram patientiã, quàm probetur aurum in fornace. Nouimus*
Iob.1 *quòd beatus Iob in tormentis & erumnis collocatus, dixit, Clamo ad te, & non exaudis me. sto, & non respicis me. Immutatus es mihi in crudelem, & in furore manus tuæ aduersaris mihi. Et cum voluit ecclesia sæuissimas tyrannorum comminationes, & cruentos principum gladios effugere, incidit in pericula, & suorum inimicorum castra. Deinde ablato suo pallio, in densissimos tenebrarum carceres detrusa, acerrimas luit pœnas, ad Christum tandem toto corpore vulnerata, tanquam ad tutissimam suæ salutis ancboram confugit, vt visis sui corporis plagis mederetur, cuius præsentissimo medicamine mortem euasit. Ille est qui percutit & sanat, sicut scriptum est* Deutero-
Deutero.32. *nomij 32. Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit eruere. Hæc Christus flagella in euangelio expressit, dicens suis*
Matth.10. *discipulis, euangelicam legationem obeuntibus,* Ecce ego mitto *vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabũt vos, & ad præsides & reges ducemini propter me in testimonium illis & gentibus: cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui*

loquitur in vobis. & rursum, Tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo. *Nec in his bellorum tumultibus, & horrendis persecutionum angustijs deferuescit syncera sponsæ erga sponsum dilectio: extabescit tamen mærore, & languet, donec præsentia sui sponsi, eiusq; osculo fruatur: & hoc dictum putes, antequam Christus nobis nasceretur, & filias Hierusalem, siue sanctas animas adiurat, vt huius amoris incendium se vidisse testentur, & huiusce charitatis magnitudinē, ad deum referant, & ad intuendam dei gloriam, supernum sibi deposcant auxilium.* Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? *Quia vident sancti & electi ecclesiā amore languescere, sciscitantur qualis est eius dilectus ex dilecto, filius scilicet ex patre, deus de deo, vbiq; seruans æqualitatem maiestatis & potestatis: nec absurdè adiectum est, dilectus de dilecto, nam vox illa paterna de cælo demissa, vnum & eundem vtriusq; amorem expressit, dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et rursum,* Matth. 17. *Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Ioann. 5. *Sponsa pulchritudinem sui sponsi, & integram totius corporis naturam, viuis coloribus depingit: quam in Christo excellentissimè spectare possumus, qui ab illibata & inculpatissima virginitate, ac à purissimo virtutum omnium candore, dictus est candidus, quem nullus vnquam vitij næuus, nulla deniq; labes contingere potuit, nec Iudæi liuida in eū inuidia flagrantes, quicquam in eo reprehensione dignum inuenire potuerunt, quibus intrepida voce dixit, Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioann. 8. *Nec solùm corporis & animi candore refulsit, sed etiam & indumentorum. Nam in gloriosa eius transfiguratione, resplenduit facies eius, sicut sol: & vestimenta eius facta sunt alba, sicut nix, vt dicit Matthæus: aut authore Marco, facta sunt splendentia & candida nimis, velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Matth. 17 Marc. 9. *Aut candidus (vt quidam volunt) dicitur, quia in principio erat verbum, & deus erat verbum.* Ioann. 1. *Rubicundus autem, quia ex purissimo virginis sanguine genitus, roseum in ara crucis cruorem pro nobis effudit, de quo dicit propheta, Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Edom siquidem sanguis interpretatur. & rursum, Quare ergo rubrum est indumentū tuum?* Esaiæ 63. *Electus iure ex millibus, de quo dicit psalmographus, Quis similis erit deo inter filios dei? & iterum, Speciosus forma præ filijs hominū, diffusa est gratia in labijs tuis.* Psalm. 88. Psalm. 44. *Meminit & huius electi Esaias dicens, per verbum dei patris, Ecce seruus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. & alibi loquitur filius ecclesiæ, dicens, Et posuit me sicut sagittam electam.* Esaiæ 42. Esaiæ 49. *Et licet apostoli fuerint electi, illorum tamen electio cum Christi electione conferri non potest: ita enim fuerūt electi, vt ab electione deficere potuerint & labi, Christus autem secundum humanitatem electus, labi non potuit, nec suam obscurare electionem: insigne tamen munus illis collatum est, vt cum Christo sint electi: de quibus scripsit Ioannes in sua Apocalypsi dicens, illos esse cum rege regum vocatos &* Apocal. 17.

electos. Caput eius aurum optimum. Comæ eius, sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. *De victricis palmæ natura, Plinius abundè disserit libro 13. capite 4. Et de palmis elatis libro 23. capite 5. Ea est vis palmæ, vt quo magis incuruatur & premitur, eo magis resistit & renititur, nec typhonijs & aquilonijs flatibus succumbit, & in altum crescendo proficit, & victoriam, non tamen per se significat, sed arborem* ἱμπασιθοφύλλον, *id est, perpetuo virentem frondibus, quam Græci* φοίνικα *vocant. Vult innuere sponsa, quòd quemadmodum auro nihil est excellentius, nihil denique preciosius, ita nihil est excellentissimo sui sponsi capite, deo scilicet, præclarius & diuinius: & verè auratum vocatur, quia in creaturis nihil est quod eius pulchritudini, & augustissimæ maiestati conferri possit, imò ad comparationem eius, omnis creatura vilescit: cuius comæ, sancti scilicet & electi, elatis palmis conferũtur. Nam sanctissimi viri cum virtutibus efferuntur, & in perfectissimam morum probitatem adolescunt, ad*
Ecclesia. 24. *victoriam victricemque præmiorũ palmam perueniunt. gloriatur & ecclesia, quòd quasi palma exaltata sit in Cades, & generosissimi ecclesiæ milites, tanquã palma in regno*
Psalm. 91. *dei florebunt. Dicit enim Dauid, Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Similes sunt & sponsi comæ, nigris coruis, quibus sanè nihil est nigrius: & quia electi à deo, nigram & squallidam vitiorum maculam à primis parentibus sibi contraxerunt, & ad hoc fulgidissimum iubar comparati, obtenebrescunt, sibi semper conscij, & sui lapsus memores, non verentur se nigris coruis conferre, quanuis enim virtutibus*
3. Regum 8. *in cælum erigantur, semper tamen se peccatores esse cognoscũt. Non enim est homo qui*
2. Paralip. 6. *non peccet. Quis etiam potest dicere, mundũ est cor meum, purus sum à peccato? & rur-*
Prouerb. 20. *sum, Non est homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet. atque iterum, Si iu-*
Ecclesiast. 7. *stum me voluerim facere coram te, os meũ condemnabit me. Dicit etiam diuus Ioannes*
Iob 9. *cum electis, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas*
1. Ioan. 1. *in nobis non est: si verò confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est, qui nobis peccata dimittat, & mundet nos ab omni iniquitate. De hac disputatione amplè loquuti sumus in nostris cõmentarijs ad septimũ caput Ecclesiastæ.* Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarũ, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima. *Oculi sponsi adhærendo allegoriæ, sunt simplices & pauperes spiritu, ac mundissimi concionatores, qui magnam instar columbæ simplicitatem præ se ferunt, & largissimis spiritus sancti donis repleti, absque vllo amaritudinis felle permanent, & veteris instrumenti riuulis, ac vberrimis euangelicæ philosophiæ fluentis, christianos imbuunt, & eò lubentius iuxta largifluos euangelij fontes resident, quo ampliorem imbibunt gratiam, non quidem ab antiquorũ cisternis, sed à lacteo sacri lauacri puteo profluentem.* Genæ illius, sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. *Purpureæ sponsi genæ, non minus oblectant visum, quàm areolæ seminis aromatici pullulantis, quæ consitæ sunt & cultæ à pigmentarijs. sumitur areola, pro exigua hortorum area. Huiusmodi areolis suauissimum odorem spirantibus, exprimuntur ecclesiæ ab apostolis collectæ, quæ velut aromatum & pigmentorum areolæ fragrantissimũ honestæ vitæ odoramentum emit-*

tunt, quæ à pigmentarijs, pijs scilicet prædicatoribus consitæ sunt, & ad huiusmodi homines in fide Christi plantatos dicit Paulus, Tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es. Aut areolæ, virtutes dicuntur à pigmẽtarijs, scilicet prophetis consitæ, qui arcana incarnationis Christi mysteria prædixerunt. Labia Christi lilijs candidiora, stillarunt myrrham primã, quando illustrissimi martyres eximio bonorum operum candore illustrati, domitis voluptatum aculeis, prædicando nomen Christi, horrendum martyrij cruciatum pertulerunt. & hac prima myrrha, siue prima martyrij corona donatus est à Christi passione Stephanus. Roma.11. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphiris. *Hyacinthus, flos est rubeus, ex herba eiusdem nominis nascens, à cuius similitudine, rubræ vestes, hyacinthinæ nominantur, & sumitur pro lapide pretioso. Venter eburneus, instar eboris albus, est & eburnea facies. Est & sapphirus lapis pretiosus, & insignis gemma. Manibus Christi designantur, qui à bonis operibus non desistunt, nec tam docent verbis quàm factis, nec etiam lato vngue à Christi doctrina discedunt. De quibus dicit, Qui me diligit, me sequatur. & Apostolus, Qui dicit se in Christo manere, sicut ille ambulauit & ipse ambulare debet: & ex eo tornatiles aureæ dicuntur, quia ad omne opus bonum semper sunt paratæ: hyacinthis plenæ, quòd rubentem martyrij florem omnibus, tanquam insigne laborum & coronæ indicent: aut quod Christum imitando, æternæ felicitatis præmio ditentur, secundum illud apostoli, Diuites in operibus bonis, facile tribuentes, & thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futuro, vt apprehendant veram vitam. Etiam de illis dicit Christus, Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, ibi & minister meus erit. In eburneo ipsius ventre deputantur, qui credentes in Christum, & eburneo baptismi fonte renati, præclara parturiunt opera, pellucidis sapphiris splendidiora. Aut aliter, Cum ventre mortalitas exprimatur, & ebore incorruptio: illi rectè dicentur eburneus Christi venter, qui ex mortalitate peruenerunt ad immortalitatem, & quod in illis erat corruptibile, effectum est incorruptibile. Potest & hic venter eburneus, de castissimo virginis Mariæ vtero explicari, qui virtutum candore speciosissimus erat. Sapphiris distinctus, pulcherrimis scilicet gratiarũ donis illustratus, de cuius præcellentia & benedictione fructus, dixit Elizabeth, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Lucæ primo.*

1.Ioan.2. 1.Timot.6. Ioann.12. Lucæ 1.

Crura illius colũnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius, vt Libani: electus vt cedri. *Quemadmodum crura totum corpus baiulant, ita & apostoli ac primarij ecclesiæ duces marmoreis columnis designati, suis humeris, suáque firmissima doctrina, imbecilliores portant & suffulciunt, sicut ait Apostolus, Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, & non nobis placere. & paulopòst sacras literas, tanquam bases aureas, laudat, dicens, Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Libanus, mons est, in quo sublimes valde, & odoriferæ arbores habentur. Cedrus, excelsa est arbor, odora & imputribilis. Sicut igitur Libanus celsitudine & gratia arborum, alios montes, sic nimirum dominus Christus omnes sanctos meri-* Roma.15.

torum celsitudine, & gratia virtutum antecellit: & sicut cedrus, alias arbores, quæ in Libano nascuntur, facile superat: ita Christus omnes christianos sua præcellit gloria.

Ecclesia. 24. *Potest & ecclesia citra vllius offensam & scandalum dicere, Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & in tantum honoris fastigium euecta est, vt nunquã in elysijs beatorum cãpis, desinet æterna frui gloria.* Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, & iste est amicus meus filiæ Hierusalem. *Gutture, interna sacri eloquij dulcedo, & mira apostolorũ doctrina, ac suauitas, exprimitur, qui occulta sacræ scripturæ mysteria enarrantes, suauissimum nobis saporem administrarunt, sed à copiosissimo illius fonte, sua omnia hauserunt, qui omnium votis expetitur, amatur & colitur, in quem nostræ mentis desideria sunt inflectenda: & cùm sit deus & homo, nobis deus & frater, non immerito censetur maximè desiderabilis: qui nobis potestatem dedit, vt filij dei vocaremur, etenim sumus hæredes dei, & cohæredes Christi, cuius aspectu satiatus est Symeon vir siquidem iustus, qui dicebat, Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Nec alius est sponsæ dilectus quàm ille, qui omnibus virtutũ ornamentis & gratijs, iam affabrè & politè depictus est, quẽ debemus totis viribus, & omnimoda nostri ingenij industria, ac diligentia suspicere, reuereri, & obseruare: ad quem confugiendum est, & à quo petendum subsidium. Hortatur ecclesia & cõmonefacit filias Hierusalem, & sanctissimos homines, vt hunc sponsum, quàmprimum aduenerit, salutent, & pudico ore osculentur, illíque syncero amore adhæreant.* Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierũ? quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum. *Filiæ Hierusalem suam sponsæ pollicentur operam, paratæ sunt eam comitari quocunq; ierit, vt sedulo officio vbique locorum peruestigent sponsum, cuius amore tenentur, cuius pulchritudine rapiuntur & æstuant, cuius denique virtutes admirantur, nec quicquam ipsis optabilius & iucundius contingere poterit, quàm eius præsentia frui, & in eo intueri, quod aliquando audierunt à sponsa tantopere commendatum.*

Ioann. 1.
Roma. 8.
Lucæ 2.

ARGVMENTVM SEXTI CAPITIS.

Postquam sponsa eximiam sui sponsi pulchritudinem, & absolutissimas eius virtutes viuis coloribus depinxit, indicat filiabus Israel cupidè sciscitãtibus, quo amicus eius declinauerat, floridissimum hortum in quem diuerterat, vt oculos suauissimis voluptatũ omniũ delicijs pasceret, & sua leuaret tædia, qui amoris incendio adustus, & suæ sponsæ victus amore, illuc contẽderat: cuius forma omnibus ornamentorum liniamentis expressa, floribus, violis, lilijs, omnibus denique rebus pulcherrimis longè præcellit: quæ decoro puellarum comitatu stipata, omnes in sui admirationẽ rapit & allicit, quam & reginæ & filiæ Hierusalem nobilissimæ, omnium beatissimã prædicarunt, & multis encomijs laudatissimã decantarunt: cuius decorem & elegantiam qui linceis oculis spectabant, magis sanè admirabantur, quàm fulgidissimos solis radios.

CAPVT SEXTVM.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Pulchra es amica mea, suauis & decora, sicut Hierusalem: terribilis vt castrorũ acies ordinata. Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerũt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro. omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt: reginæ & cõcubinæ, & laudauerunt eã. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallis, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica. Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere reuertere, vt intueamur te.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis vt pascatur in hortis, & lilia colligat. *Hæc ad allegoriam explanaturi, dicimus, Christum descendisse in venustissimũ ecclesiæ hortum, quẽ lympidissimo gratiarum fonte, velut areolam aromatum irrigauit. Descendit etiam in hortum suum, quando populum Israel prælectũ, suo aduentu nobis iucundissimo visitauit, sicut ipse ait, Non sum missus nisi ad oues quæ perierũt domus Israel.* Matth. 15. *Venerat haud dubiè, vt Israeliticam domum ab antiquis vitiorum sordibus repurgaret, repurgatam euangelica sapientia, & donorum amplitudine illustraret. Areolam autem aromatis, virginem Mariam intelligi volunt, quòd ex ea, fragrantissimus iustitiæ odor ortus sit, dominus Iesus Christus. Pascitur Christus in hortis, cũ eximijs animarũ virtutibus, & pijs sanctorũ operibus oblectatur, aut quia in ditissimo christianorũ horto (quẽ sua præsentia irrorauit) diuersatur & regnat. Lilia colligit, quando perfectos virtutum candore nitẽtes, ab hac vita succidit, succisos ad cælestia regna perducit. Possumus etiã per descensum sponsi, intelligere domini nostri Iesu Christi descensum ad inferos. Nam id sequentia probare videntur, cùm dicit ad aromatũ areolas siue phialas. Prisci enim illi sanctissimi viri, per aromatũ phialas non ineptè significantur. quales fuerunt Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moses, Iob, Dauid, Samuel, Eliseus, Daniel, aliiq; quamplurimi, qui quidem omnes veluti aromatũ areolæ, fragrantissima iustitiæ & cæterarum virtutum odoramenta suauissimè oluerunt. tunc enim paradisum triumphator ingressus est, cum ad inferos penetrauit.* Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. *Hæc loquitur ecclesia ex fiducia amoris sui, Sum dilecto meo di-*

uersoriu̅m, singulari diligentia adparaui meo sponso cœnaculum in quo conquiescet. Nec tam illi præparaui locum, quàm ille mihi, cuius ego sum tẽplum, & suo ventilabro meã purgauit aream, vt mundius meã domunculam inhabitaret. non enim consueuit rex omnium nobilissimus, spurcissimã domũ, & casulam porcino vitiorũ lustro fœdatam, incolere: & domus Christi augustissima, debet esse domus orationis, quam tamen Iudæi fece
Matth.21. *rant speluncam latronũ: quorũ mensas cũ subuertisset, dixit, Auferte ista hinc, & nolite*
Ioan.2. *facere domũ patris mei, domum negotiationis. Vt autem iucundius diuersari possit Christus cum sua ecclesia, nobis optandum erit, vt terrestris hæc domus dissoluatur, & do-*
2.Corin.5. *mum habeamus ex deo non manufactã, sed æternã in cælis. Agnoscit subinde ecclesia, cũ dicit, Ego dilecto meo, & dilectus mihi, se esse regnũ Christi & corpus: illum autẽ, regẽ & caput, vt arctior sit, & iunctior amicitiæ nexus, nec vnquã caput à corpore diuellatur, nec corpus à capite, sed vno & eodem amoris vinculo copulata, perpetuũ beneuolentiæ fœdus inter se conseruent. Pascitur autem inter lilia, cum in illis qui spiritus sancti gratiam adepti sunt, quotidie augetur, aut cum in intimis prudentum virginum*
Matth.25. *præcordiis requiescit: quæ accepto in suis lampadibus oleo, exierunt obuiam sponso, in cuius nuptiali conuiuio discubuerunt.* Pulchra es amica mea, suauis & decora, sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. *Synagoga dignè cõuersa, sicuti Hierusalem, pulchra & amica & suauis & decora dicitur, quia dum sanctam ecclesiam imitatur, saluberrima quatuor Euangeliorũ præcepta diligenter obseruat: pulchra quidẽ moribus, exercitio honestæ vitæ amica, mansuetudine & clementia suauis, sanctissima verò conuersatione decora, & quidem sicut Hierusalem, quæ visio pacis interpretatur. Finita autem hac peregrinatione, persimilis erit angelis, quod &*
Matth.22. *pollicitus est in euangelio sponsus, dicens, In resurrectione non nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cælo. Ad hanc autem cælestem & sanctam Hierusalem, ecclesia multis tribulationibus & pressuris probata, cõtendet, confidens in eo qui discipulis*
Ioan.16. *suis dicebat, In mundo quidem pressuram habebitis, sed cõfidite, ego vici mundum. Est & ecclesia terribilis, vt castrorum acies ordinata. Quemadmodum enim acies militum stipatissima, cum vno & eodem concertãtium animo coalescit, summũ hostibus terrorem incutit, dissecta autem & interrupta vincitur: ita ecclesia numerosissimo christianorũ populo præmunita, inuicto fidei & charitatis clypeo, infestissimos Christi inimicos territat, & ignea dæmonum tela dilacerat, & extinguit, à suis tamen diuulsa mẽbris, & dissidiis vulnerata, expugnatur, tametsi tota in se prosterni nõ possit. Dixit enim Chri*
Matth.28. *stus suis discipulis, postquam à mortis somno excitatus est, Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. & nihil est quod tam facile possit ecclesiam aliqua ex parte subuertere, quàm schismatica factio, & excogitata à christianis seditio:*
Matth.12. *nec absurdè dixit Christus, Omne regnum diuisum contra se desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit. Simus igitur in ecclesia cõcordes, seruemus summa cum diligentia inuictissimã ecclesiæ vnitatem, ne tyranni & persecutores fidei fortissima nostræ ciuitatis propugnacula demoliantur & diruant. Habet & sancta ecclesia castrorum aciem ordinatam, quando imminẽte Christo, nec martyres persecutio,*

nec virgines carnalis delectatio, nec misericordes cupiditas, nec humiles temporalis gloriæ deuicit ambitio. Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. *Communis est loquendi tropus, quo solet vehementia amoris exprimi, & ferventissimus amatorū ignis, cùm alter amorem alterius deperit, nec sinit amor sponsæ suum sponsum quiescere, sed terras peragrat, ciuitates circuit, & instar auium volitat. Ad allegoriam dicit Christus ecclesiæ,* Non me putes semper corporeis oculis conspiciendum, nam spiritu per fidem melius cernes. Abijce terrena, & internos animi oculos, in me desigito. *Idcirco in cælos ascendi, vt te à rebus terrenis ad cælestium amorem abducerem.* Nōne errabat Magdalena peruestigans Christum à morte excitatum cum hortulanis? *syncera fide debuerat illa credere suum præceptorē resurrexisse, nec opinari falsò illum ab hortulano sublatum. quapropter Christus hoc carnale desiderium obiurgans, dixit,* Mulier noli me tangere. *Hac quoque nube & nubilosa caligine tenebatur* Thomas, *qui dicebat, Nisi videro in manibus eius fixurā clauorū, & mittam digitum meū in locum* Ioan.20. *clauorū, & mittā manū meam in latus eius, non credam. cui dixit Christus, infer digitū* Ibidem. *tuū huc, & vide manus meas, & affer manum tuā, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. respondit* Thomas *& dixit ei, Dominus meus & deus meus. dicit ei Iesus, Quia vidisti me Thoma credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt.*

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad, Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. *Hæc pro virili in quarto capite, exposuimus: quia tamen concinnè huic cohærent sententiæ, repetuntur ab authore. Capillis, populi: dentibus, doctores: gemellis fœtibus, præcepta charitatis exprimuntur: genæ rubro mali punici cortice & roseo cruore insignes, ipsos adumbrant martyres & referunt: qui ob tormenta æquo animo tolerata, gloriosum in cælis triumphum agunt.* Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. *Nobis compertum est ex libris regum, Salomonem cæco mulierum amore delusum, habuisse vxores* 3.Regū 11. *quasi reginas septingentas, & concubinas trecentas. quòd si hæc Salomonis verba essent omnino intelligenda, de illis reginis & concubinis: aut dicendum esset, Salomonem hoc minore numero, maiorem comprehendisse, aut suppressisse: nec tamen puto hæc intelligenda esse de reginis & concubinis Salomonis, sed de christianorū animabus.* Hunc *enarrās locū* Augustinus, *libro vno 83. quæst. quæstione 55. dicit,* Denarius numerus po- Augustinus. *test significare vniuersitatis sciētiā, quæ si ad interiora & intelligibilia referatur, quæ senario numero significantur, fit quasi decies sexies, quod est sexaginta: si ad terrena & corruptibilia, quæ octonario numero significari possunt, fiunt decies octies, quod est octoginta.* Reginæ *ergo, sunt animæ regnantes in intelligibilibus & spiritalibus: concubinæ, quæ mercedem accipiunt terrenorum, de quibus dictum est,* Acceperunt mercedem Matth.6. *suam, adolescentulæ quarum non est numerus, quarum non est determinata scientia, & diuersis dogmatibus periclitari possunt, vt numerus quod dictum est, significet certam & indubitatam confirmationem scientiæ. hæc ille. Istis igitur reginis, exprimuntur per-*

2.Corint.3. *fectæ ſanctorum animæ,quæ ſuam optimis virtutibus libertatem protegunt.Vbi enim eſt ſpiritus domini,ibi libertas.Concubinæ ipſi Agar perſimiles,ſunt peccatorum ancillæ,quæ nihil præter carnem ſapiunt:adoleſcentulæ,quarum non eſt numerus,eorum eſt multitudo,qui parati ſunt audire ſancta, nec tamen quæ audiunt, operibus adimplere*
2.Timot.3. *contendunt.de quibus dicit Apoſtolus,Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.nec eſt mirum,ſi adoleſcentularum,& eorum qui pereunt, non ſit numerus.Nam adoleſcentia prona eſt ad libidinem,voluptatum omnium amantiſſima, vaga,inconſtans,infrænis,& ſuis affectibus maximè dedita:quæ niſi tẽperantiæ fræno coerceatur, facilè deſpumabit in libidinem : nec illorum,qui vana quæque & caduca*
Pſalm.39. *ca ſectãtur,eſt numerus. de quibus dicit propheta,Annuntiaui & locutus ſum, multi-*
Matth.7. *plicati ſunt ſuper numerum.quibus etiam dicet Chriſtus in extremo iudicio, Nũquam*
Matth.25. *noui vos:diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.& rurſum, Diſcedite à me*
Lyranus. *maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo & angelis eius.Differẽs Lyranus de iſtis reginis & concubinis,dicit,per ſexaginta reginas,authore Rabbi Salomone,intelligi ſexaginta perſonas ab Abraham deſcendentes, ſcilicet Iſaac & duos filios eius, Hiſmaelem & duodecim filios eius, & filios de Cethura ſexdecim,& filios Iacob duodecim,& filios Eſau ſexdecim. Octoginta verò concubinæ ſunt octoginta perſonæ de*
1.Paralip.1. *Noe vſq; ad Abraham excluſiuè,& iſtæ numerationes deſumuntur ex 1.Paralipo. capite 1.Et ſicut reginæ ſunt maiores concubinis regũ,ita perſonæ deſcendentes ab Abraham,propter magnitudinem fidei Abrahæ,exprimuntur nobiliori nomine,quàm deſcendentes à Noe.Et adoleſcentularũ non eſt numerus,id eſt,cognationũ & gentium à præ-*
Philo. *dictis deſcendentium.Sed quã velis,ſequere opinionem.Putat Philo per ſexaginta reginas,eos omnes ſignificari,qui ante legẽ,& in lege ipſa ſanctiſſimè vixerunt,quod ij naturæ legem iuſtiſſimè ſeruãtes,ſenarij numeri,quo quidem,omnia à ſummo ipſo deo rerum omnium conditore patrata conſtant,myſticam perfectionem acceperunt: per octoginta concubinas,intelligũtur omnes animæ quæ ſine lege naturæ ac ſcripta,veluti quædam meretriculæ omni vitiorum iugo turpiſſimè proſtratæ,Idolorũ cultibus ſeruiebant, priuſquam euangeliõ Chriſti choruſcante,ad verum cæleſtis ſponſi matrimonium ſanctiſſime coniugarentur:multitudo autem omnium incipientium chriſtianæ fidei & religioni deſeruire,eſt infinitus adoleſcentularum numerus.* Vna eſt columba mea, perfecta mea,vna eſt matri ſuæ electa genitrici ſuæ.*Chriſtus hoc ſponſo figuratus,accõmodè dicit,eccleſiam eſſe vnam,vt vnius cæleſtis ſponſi, vna ſit & cæleſtis ſponſa.Si enim vna ſit fides,vnũ baptiſma,vnus dominus,vnus Chriſtus,& vna erit*
Epheſ.4. *eccleſia. Nec dixit Paulus ad Epheſios,Sacramentũ iſtud magnum eſt in Chriſto,& in*
Epheſ.5. *eccleſijs,ſed in eccleſia: vt ſanè vna ſit ſpiritalis Chriſti & eccleſiæ coniunctio. Dicit*
Ioan.3. *quoq; Chriſtus in euangelio Ioannis,Qui habet ſponſam,ſponſus eſt:nec dixit, qui habet ſponſas,ſponſus eſt:vt hæc excutientes myſteria,animaduerterẽt eccleſiam eſſe vni viro deſponſatam,& ſimpliciſſimam huiuſce diuini coniugij vnionem.Et huic ſentẽtiæ*
Auguſtinus. *aſtipulatur Auguſtinus epiſtola Honorato, proferens illud prophetæ, Et de manu canis*
Pſalm.21. *vnicam meã,vbi dicit,nihil aptius quàm vnica eccleſia mihi videtur intelligi.Et eccle-*

sia vnica, est vnica catholica, quæ toto orbe copiosa diffunditur, quæ vsque ad vltimas gentes crescendo porrigitur. Et epistola 166. redarguens Donatistas, eos hortatur vt teneant vnitatem ecclesiæ. Si enim teneant Christum, cur non tenebūt ecclesiam? Et libro secūdo contra epistolam Parmeniani, capite octauo proferens illud Pauli ad tuendam ecclesiæ vnitatem, Vnus mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, dicit in Christo nos vnum esse, si seruemus vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et libro vno de vnitate ecclesiæ contra Petiliani Donatistæ epistolam, cap. 2. dicit vnam esse ecclesiam, quā maiores nostri catholicam nominarūt: quòd si quis non sit in membris Christi, christianam salutem habere non potest. & exponens illum psalmum, Domine quando respicies? restitue animam meam ab astutijs eorū, à leonibus vnicam meam. vocat hanc vnicam, ecclesiam dei, quam dominus liberat à sæuiētibus potestatibus. Nec ab Augustino euariat Cyprianus libro primo epistolarū, epistola 6. Magno filio, vbi asserit ecclesiam esse vnam, quæ vna & intus esse & foris non potest. & hæc ecclesiæ vnitas, figuris designata est. Scriptum est enim de sacramēto paschæ & agni, qui Christum designabat, In domo vna comedetur, non eijcietis de domo carnē foras. Quod item circa Raab, quæ ipsa quoque typum portabat ecclesiæ, expressum videmus, cui mandatur & dicitur, patrem tuum & matrē tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad teipsam in domum tuam; & omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit. Quo sacramento declaratur in vnam domum solam, id est, in ecclesiam victuros, & ab interitu mundi euasuros colligi oportere. Quisquis autem de collectis foras eiecerit, id est, si quisquam in ecclesia gratiam consecutus recesserit, & ab ecclesia exierit, reum sibi futurum, id est, ipsum sibi quòd pereat, imputaturum. hæc ille. Adnotant quidam, quòd sicut vna est fides antiquorum & modernorum, variata tamen secundum maiorem & minorem explicationem, sic est vna ecclesia, variata tamen secundum maiorem & minorem coniunctionem ad Deum, quia magis coniuncta est tempore noui testamenti. & hoc modo accipit ecclesiam, beatus Gregorius in suis homilijs, dicens, Quis similitudinem patrisfamilias rectius tenet, quàm conditor noster? qui eos quos condidit, sic possidet, quasi subditos in domo, qui habet vineam scilicet vniuersalem ecclesiam, quæ à primo Abel iusto, vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Et licet vna sit ecclesia, propter tamen congregationes fraternas per loca, multæ sunt ecclesiæ. Ecclesijs (inquit Paulus ad Galatas) Iudææ, quæ erāt in Christo, eram ignotus facie. & vnā dixit ecclesiam ad Corinthios, Sine offensione estote Iudæis & gentibus, & ecclesiæ dei. Etsi multæ sint ecclesiæ, omnes tamen vna sunt, propter vnitatem fidei & charitatis in Christo. Ecclesia ex eo perfecta dicitur, quia mundum & caduca quæque reliquit, vt magis placeret deo quàm hominibus, secundum illud, Si vis esse perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Vna est matri suæ, & electa genitrici suæ, cælesti scilicet Hierusalem, de qua dicit Apostolus, Quæ autem sursum est Hierusalem, mater nostra est. Vna est ergo illi, quia in futura beatitudine, ipsa tantūmodo consociabitur illi.

[Margin notes: 1. Timot. 2. — Psalm. 34. — Cyprianus. — Exod. 12. — Iosue 2. — Gregorius. — Galat. 1. — 1. Corin. 10. — Matth. 19. — Galat. 4.]

Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, reginæ & concubi-

næ,& laudauerunt eam. *Quis non prorumperet in laudes huiusce sponsæ omnium illustrissimæ? quis præclaras eius virtutes subticere audebit? quis denique eam à mūditia, nitore, & pulcherrimis regum stemmatibus non extolleret? quòd si concubinæ & peccatrices illam laudibus extulerint, multo magis reginæ & perfectæ sanctorum animæ, illius gloriam miris præconijs efferent, & prædicabunt: quandoquidem victricē in martyribus & in virginibus palmam retulit. Sed secretius hæc meditando, dicimus concubinas aliter quàm reginas illam commēdasse. Nam illæ fictis & personatis encomijs illi*
Esa.29. *assurrexerunt, de quibus dicit ipsa veritas, Populus hic labijs me honorat, cor autem*
Ma.15. *eorum longè est à me. dicit & Paulus de simulata illorum religione, Dictis confitentur*
Tit.1. *se nosse deum, factis autem negant. Reginæ verò non tam fluitantibus verbis, quàm animo & syncero affectu illi applaudunt, illámque omnium felicissimam prædicant.*

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? *Demiratur synagoga excellentissimam ecclesiæ ex gentibus collectæ pulchritudinem, eò quòd nullo præeunte magistro instituta, nullis denique prophetarū vaticinijs erudita, audito solo euangelij præcone, ad tuēdam Christi militiam etiam absque vllo authoramento contenderit. consurgit quasi aurora, cum depulsis tenebrarum operibus, castè & pudicè viuit in coniugatis: pulchra vt luna, cum in continentibus cādido nitore resplendet, nec minus cæcos illustrat & ad rectam euangelij semitam perducit, quàm luna noctem illuminando, viatoribus iter, quo progrediendum sit, ostendat: electa vt sol, cum in virginibus non mediocri perfectionis decore refulget, sicut terra illa feracissima suscepto diuini verbi*
Matth.15. *semine, tricesimum, sexagesimum & centesimum fructum peperit: & ex eo terribilis est vt acies castrorum ordinata, quòd gentilium ritus & idolorum cultus subuerterit, & in ipsa Christi fide perdurans, à gentibus superari non potuerit. Est & in eo terribilis mul*
Matth.16. *tum, cùm ei in Petro datur illa potestas, vbi dicitur, Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælo.* Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallis, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica. *Nux foris tum dura est, tum amara est, intus suauissimū condit cibum, & aliud ostendit in testa siue cortice durissimo, & aliud in nucleo: frange nucem si medulla introrsus latente frui velis. Hinc protrita illa Plauti parœmia, Qui è nuce nucleum esse vult, frangit nucem, quæ sibi hanc vendicat sententiam, qui commodum appetit, ne fugiat laborem, qui quærit voluptatem, prius experiatur sudorem, sine quo, non paratur vera voluptas. Et hoc nucum horto, literas cùm veteris, tum noui instrumenti designamus, quas primoribus labris degustantes, parum dulcedinis persentiunt: qui tamen duro & perdifficili labore tropos, allegorias, & reconditas in illis sententias excutiunt, non possunt non spiritalem ab illis depromere intelligentiam, & mira cum voluptate animum reficere. & quo magis has gustant literas, eo cupidius gustare volunt, nec suauissima diuinæ philosophiæ dulcedo ab illorum labris dimoueri potest. Et in hunc hortum contendit sponsus, vt intueretur fructum, quem sponsa peperit, qui in conualle reperitur, in demissa scilicet &*

honesta christianorum humilitate, sicut in psalmis canitur, Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis. Vineæ autem florent, cùm Neophyti, siue recenter in fide plantati, decerptis ab euangelica vite floribus delectantur, & floridissima bonorũ operum germina pariunt, ac consummatis martyrum studijs accensi, certatim contendunt suum pro Christo sanguinem effundere. Nesciui, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. *Quid nesciuit Christus nisi peccatum? Nesciuit & illos qui dicunt, Domine nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc (inquit) dicam illis, Amen dico vobis, quia nescio vos: non quòd eos quales essent, nesciret, sed quia nihil boni in illis esse cognouit. Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. Dicitur ab interpretamento Aminadab, spontaneus populi mei, vel bona voluntas patris, vel probatio, & istum Aminadab in Christo genealogicè reperimus, vnde & has quadrigas in bonam partem accipimus, quibus non inconcinnè intelligẽdi sunt euangelistæ, quibus Christus per totum terrarum orbem vehitur. Quòd autem dicit se à sua anima conturbatum fuisse, non ita intelligimus, vt hæc conturbatio sit trãquillitati contraria, sed temperatæ solicitudini congruit vt quidam volunt, secundum illud quod in euangelio ad Martham dicitur, Quid solicita es, & turbaris erga plurima? fuit & Christus pro suis discipulis solicitus, qui pro illis suum patrem rogauit, dicens,* Pater sancte, serua eos in *nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos. & in psalmis, Commouisti terrã & conturbasti eam, sana contritiones eius, quia mota est. Et quocunque fertur Aminadab, & spiritus Christi, illuc & rotæ pariter feruntur, quæ quaternarium in vno & eodem euangelij spiritu & consensu concludunt. Sunt qui ad hanc scenam, introducunt synagogam loquentem,* Nesciui *ò sponsa & amica Christi, te eximijs gratiarũ dotibus decoratam esse, idcirco anima mea vehementer me conturbauit, stuporémque in animum meum induxit, cum intellexi te cumulatissimis euangelicæ sapientiæ thesauris affluere. Istis quadrigis Aminadab, intelligitur, authore Lyrano, potentia regni* Iudæ, *eo quòd tribus* Iuda *meruit dignitatem regiam in transitu maris rubri. Nam alijs tribubus formidantibus* Moysem *sequi per mare diuisum, tribus* Iuda *constanter sequuta est ipsum, & alijs præbuit constantiæ exemplum, tunc autem Aminadab erat princeps tribus* Iudæ, *qui egressus est de Aegypto cum* Naason *filio suo, qui mortuo patre successit ei in principatu, Numerorũ 7.* Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere reuertere, vt intueamur te. *Nouimus ex libris regum bis Sunamitem istam in honorifico loco constitutam esse, tam illam quæ* Dauid *regi in senectute ministrauit, & in eius complexu virgo quidem pulcherrima permansit, quàm etiam illam, cuius* Helisæus *filium ex promissione natum & post hoc mortuum suscitauit, quapropter hoc nomine figuratur ecclesia, cui frequenter dicitur, reuertere, quæ quondam in illo iuniore filio in regionem longinquam abiens, auersa fuerat, tunc etenim reuersa est, quando cœpit Christum toto corde amplexari. Aut idcirco tam crebro ei reuertere dicitur, vt etiamsi aliquando deliquerit, desperatione non decidat, sed à peccati consuetudine resipiscat. nec de tota ecclesia nunc decertamus, quæ est sancta & immaculata, sed de his qui in ecclesia lapsi,*

[Margin notes: Psalm.17. — Matth.7. — Lyranus. — Lucæ.10. — Ioann.17. — Psalm.59. — Nume.7. — 3.Regum 1. — 4.Regũ 4. — Lucæ 15.]

ad copiosissimum misericordiæ fontem confugiunt. Alij dicunt Christum commonefacere synagogam, quæ Sulamitis siue captiua dicitur, vt ad cognitionem saluatoris, qui in lege & prophetis promissus est, reuertatur. Egredere igitur Sunamitis è carcere infidelitatis ad tuum redemptorem, vt salueris, & exosculare meam crucem syncera fide, vt
Esaiæ 10. *pristinam dignitatem recuperes, pro te siquidem clamauit Esaias, Si fuerit numerus fi-*
Roma.9. *liorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. Dixit etiam diuinum respon-*
3.Regũ 19. *sum Eliæ interpellanti Deum aduersus Israel, Reliqui mihi septem millia virorum, qui*
Roma.11. *non curuauerunt genua ante Baal, ex quo colligit Paulus, Sic ergo & in hoc tempore*
Ibidem. *reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt. & rursum, Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut*
Esaiæ 59. *scriptum est, Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. Sunt qui non legunt reuertere Sunamitis aut Sulamitis, sed conuertere, conuertere Odollamitis: interpretatur autem Odollamitis, testimonium in aqua: & certe mira est dictorum consonantia. Nam christiani sacro baptismate abluti in aqua testimonium dicunt, & diuinitatem ac vnitatem substantiæ in trinitate confitentur: & hanc fidem in sacro fonte testantur omnes.*

ARGVMENTVM SEPTIMI CAPITIS.

Nihil in sponsa conspicies quod non sit elegans, pulchrum & decorum, nihil denique quod non excellentem virtutum omnium concentum obseruet, quæ instar reginæ composito gressu incedit, redimiculis & monilibus exornata, cuius ventre pudicissimo nihil est fœcundius, vberibus fragrãtius, collo candidius, oculis perspicacius, naso rorantius, capite & comis purpuratius, cuius statura palmari nihil est procerius, gutture & labijs suauius, quam qui spectant, arbitrantur sanè se venustissimã pulchritudinis deam contemplari, quæ summopere cupit vnà cum sponso egredi in agrum amœnissimũ, commorari subinde in villulis, & diluculo expergisci ad videndum si nam vites odoriferæ floruerint, si denique flores suauissimum fructum pepererint, vt iucundius illic syncero sui sponsi amore frui possit, & de rebus honestis cum eo confabulari.

CAPVT SEPTIMVM.

QVid videbis in Sulamite, nisi choros castrorũ? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamẽtis, filia principis? Iuncturæ feminum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs. Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Caput tuum, vt Carmelus: & comæ capitis tui, sicut purpura regis iuncta canalibus. Quàm pul-

chra es,& quàm decora chariſſima in delicijs! Statura tua aſſimilata eſt palmæ,& vbera tua botris. Dixi, Aſcendam in palmam,& apprehẽdam fructus eius. Et erunt vbera tua ſicut botri vineæ: & odor oris tui,ſicut odor malorum. Guttur tuum,ſicut vinum optimũ: dignum dilecto meo ad potandum,labiiſque,& dentibus illius ad ruminandum. Ego dilecto meo,& ad me cõuerſio eius. Veni dilecte mi, egrediamur in agrũ, cõmoremur in villis. Mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt,ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea. Mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris. Omnia poma noua & vetera dilecte mi ſeruaui tibi.

QVid videbis in Sunamite,niſi choros caſtrorum? *Hanc explicabimus ſententiam de ipſa eccleſia,in qua nihil intuebimur,niſi præparamenta eorum,qui ſemper in procinctu tanquam in caſtris conſtituti,contra infideles,hæreticos & dæmones decertare non ceſſant,ne chriſtiani illorum aſtu deluſi,fidem amittant,ne religioſi à pſeudoapoſtolis ſubornati,fiant apoſtatæ,ne liberales diuitiarum hamo ineſcati,decipiantur,ne pœnitentes ad vomitum reuertantur,ne virgines illibatum integritatis florẽ perdant,ne etiã continentes,caſtimoniæ nitorem amittant. Hi ſunt in eccleſia chori caſtrorum,in continuo agone conſtituti, & deo muniẽte inuicti,quos diaboli caſtra & munitiones nec terrent, nec à conſtantia & animi magnitudine deijciũt. Vnde dicebat* David,*diuino adiutus clypeo, Si conſiſtant aduerſum me caſtra,non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium,in hoc ego ſperabo. Accommodant alij hanc ſententiã Synagogæ,cuius caſtra videbuntur,quia pro fide quam aliquando impugnauit, nunc generoſe contra infideles præliatur, factus eſt ſiquidem* Paulus *munitiſſimum caſtrum aduerſus* Iudæos,*quorũ tamen partes aliquando acerrimè defendit. Poſſunt & caſtrorum chori,ad ſanctorum multitudinem,& electorũ numerum referri,qui ad fidem* Ieſu Chriſti,*per euangelium veritatis illuminati,peruenerunt: & lauacro ſpiritalis aquæ abluti, adhærent* Chriſto. Pſalm.26. 1.Timoth.1. & Actor.9. & 22. Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis. *Filia principis,ſancta eccleſia dicitur,Chriſti quidem filia,ob gratiam baptiſmatis,& nobilitatem virtutum. Calceamenta eccleſiæ,ſunt inſtituta,& exempla antiquorum patrũ,quibus in via huius mundi munitur,vt per omnes tribulationes quæ exurgunt,confidenter calciata gradiatur. His autem calceamentorũ præſidijs muniuntur concionatores,cum ſanctũ Chriſti euangelium prædicant,de quibus dicit* Paulus,*Calciati pedes in præparationẽ euangelij pacis. & de iiſdem legatis maximam eccleſiæ vtilitatẽ adferentibus,dicit Propheta, Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem,euangelizãtium bona.* Ephe.6. Eſaiæ 52.& Roma.10. Iunctura fœmorum tuorum,ſicut monilia quæ fabricata ſunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis,nunquam indigens poculis. *Et qui ex circunciſione & præputio crediderunt,iſtis fœmoribus explicantur, quorum iunctura & ſocietas,in vnius dei cultu,& Chriſti religione ſita eſt,quam expreſſit* Paulus,*dicẽs,Ipſe eſt pax noſtra,qui fecit vtraq; vnũ,& eandem iſtarum ouium connexionem in euãgelio* Ephe.2.

Ioann.10. *Ioannis comperimus, in quo dicit Christus, Et alias oues habeo quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor. Possumus per iuncturas & consonantias fœmorum, vitæ temperantiam & morum sanctitatẽ, veluti cœlestem quãpiam diuinæ sapientiæ harmoniã explicare. Et qui vno & eodem fidei sacramento donati sunt, cũ beatè viuunt pellucidæ sunt margaritæ, & monilia manu artificis solertissimi fabricata. cùm enim fidei & diuinæ sapientiæ subsidijs adiuti, sancta opera faciunt, non minus fulgent, quàm monilia, & insignes gẽmæ. Vmbilicum verò habent tanquam craterem tornatilem, qui medium & honorificum in ecclesia locum tenent, nec ad vnum atque alterum extremum declinant, & quemadmodum crater tornatilis ad multa vtilis est, ita & illi ad omne obsequium deo & hominibus præstandum, sunt paratissimi, nec indigent poculis, quia spiritus sancti gratia & donis abundãt, & qui lympidissimã spiritus sancti & sacrarũ literarũ aquam alijs propinant & largiuntur, necesse est vt abundãtius cæteris biberint. Sunt qui dicunt vmbilicum hunc, esse fragilitatẽ nostræ infirmitatis, & craterem fieri tornatilem, cũ conscientia mortalitatis nostræ admoniti calicem salutaris verbi, prompta mente, proximis propinare satagimus.* Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs. Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. *Fœcundissimi ventris est parere fructum, nec solùm semel, sed frequenter, & quod natura adauxit, in lucem proferre. Nec ab hac virtutis excellẽtia degenerat ecclesia, quæ semper aliquid boni fructus parturit, & qui sapidissimum sacrarum literarũ succum exugunt, & ea quæ salutaria sunt, infra se congerunt, ventris naturam imitantur & retinent, & hi velut aceruus tritici congestus, vallantur lilijs, quòd dulcissimo sacræ scripturæ cibo, quo abundè fruuntur, famelicos foueant & reficiant. Aut hoc ventre, copiosissimus christianorum populus designatur, qui velut aceruus tritici lilijs vallatur, quia dum operibus sanctis intendens, in cœleste horreum præparatur, saluberrimis sanctorũ exemplis, vt perseueret, vndiq; munitur. Nec prodest aceruus tritici nisi muniatur alijs, candore scilicet & puritate, vt nihil vitij introrsus lateat. Duo vbera duobus hinnulis coaptata, duo sunt populi ex peccati traduce veniẽtes, qui in Christo sacri lauacri fontibus abluti, tanquam hinnuli renascũtur, & cũ integro amore adinuicem feruent, sua studia dulcissimo pietatis lacte nutriunt.* Collũ tuũ sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Esebon quæ sunt in porta filiæ multitudinis. *Collum ecclesiæ in sapiẽtissimis doctoribus constitutum est, qui iugi studio & assiduo labore, velut turris eburnea in sublimem rerum diuinarum contemplationem euehuntur: ardua & difficillima quæq; discere cupiunt, & discendo admirantur, & ciuitati dei, ac christianæ reipublicæ plurimum momenti adferunt. Est etiam luculentissima sacrarũ literarũ sapientia, quam frequenti meditatione conquirimus, turris eburnea, q͂ summa dei mysteria solùm illis detegat, qui & acrimonia ingenij, & virtutũ candore cæteris præferũtur. Sed quid sibi velit Esebon*

Lyranus. *explicemus. Esebon, vt dicit Lyranus, secundũ* Hebræos, *non est hic nomen ciuitatis vltra*

Hiere.48. *tra Iordanem, de quo dicitur* Hieremiæ 48. *Ignis egressus est de Esebon, sed est nomen*

Nume.21. *commune significans computationem. Hæc ille. Vrbs Esebon (vt scriptũ est* Num. 21.)

Fuit Seon regis Ammorræi, qui pugnauit contra regem Moab, & tulit omnē terram quæ ditionis illius fuerat vsq; Arnom. Idcirco dicitur in prouerbio, Venite in Esebon, ædificetur & cōstruatur ciuitas Seon. Esebon, cingulum mœroris interpretatur, vel puræ cogitationes, & oculi ecclesiæ, apostoli scilicet & doctores, Piscinis in Esebon conferuntur, quòd profluentissima sacræ scripturæ fluenta, christianis & idoneis auditoribus præbeant. Et sicut piscinæ aquàrum irrigant hortos & syluas lignorum germinātium, ita & spirituales doctores in hac Christi porta constituti, argenteis sacri eloquij fontibus sitientium prata irrigant: in Esebon quidem, quia lachrymis loti, aduersus astutias dæmonis accinguntur, & audacius multo, cum illo manum conserunt: in porta filiæ multitudinis, quòd multi in ecclesiam bonorum omnium procreatricem, per ianuam fidei confluant. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum, caput tuum vt Carmelus: & comæ capitis tui, sicut purpura regis iuncta canalibus. *Naso, sagacitas odorandi, & odoris discretio perpenditur. Damascus interpretatur sanguinem bibens. Carmelo, virtutū sublimitas exprimitur. Nasum habent in ecclesia sagacissimum, & nares emūctissimas, qui fragrantissimum iustitiæ odorem à Christo receptum, in intima nostræ mētis præcordia transfundunt, & à candore bonorum operum, quibus in cælum vsque attolluntur. turri Libani non iniuria conferuntur, quorum proceritas, & proceritatis candor, respicit contra Damascum, sanguinarios scilicet & impios, quibus constanti animo obsistunt. Cōfert subinde Salomon, caput ecclesiæ, scilicet Christum Carmelo (si sectari velimus mysteria, & allegorias) quia Christus postquam durissimum crucis tormentum passus est & resurrexit, ad gloriam sui patris euectus est, & super omnes cælos gloriose ascendit. de quo dicit Propheta, Ascendēs in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. & Paulus hunc referēs psalmum addit, Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est, & qui ascendit supra omnes cælos, vt impleret omnia. Et huiusce excellentissimæ Ascensionis meminerunt euangelistæ, de qua dicit Marcus, Et dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedit à dextris dei. Dicit & Lucas, Et factū est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Et in actis apostolorum eandem narrando historiam dicit, Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cúmque intuerentur in cælum, euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum eunte in cælum. Aut aliter & hic locus exponetur, In Carmelo mōte Helias & Heliseus viri longe sanctissimi sæpe receptaculum habuere, quapropter in capite ecclesiæ domino nostro Iesu Christo, quo sublimius nihil est, tanquam in monte Carmelo iusti sublime habent habitaculum, in quo populus sapientiæ nutrimentum suscipit. Comæ capitis istius, sicut purpura regis iuncta canalibus, eminentiores sunt sancti, beati scilicet martyres qui purpureis martyrij ornamentis illustrātur.* Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in delicijs. Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. *Pulchra est ecclesia fide*

Psalm. 67.
Ephe. 4.
Marc. 16.
Luce 24.
Acto. 1.

& operibus, decora nitidis virtutum ornamentis, charissima dilectione in delicijs, spiritualibus scilicet officijs, cuius statura persimilis est palmæ, eò quòd quemadmodum palma in sublime crescens, dulcissimos fructus gignit: ita cum de virtute ad virtutem adolescit, non parum nobis commodi & fructus adfert, & ad optimum tandem præmium nos perducit. Vberibus, sacri doctores propter lac primæ eruditionis conferũtur: & botris, propter dulcissima sacrarum literarum mysteria, & bonorum omnium copiam.

Dixi ascendam in palmá, & apprehendam fructus eius. *Apud se statuit ecclesiæ sponsus & decreuit, quòd sedata persecutionum procella, & debellatis in generosissimo certamine suis inimicis, ad victricem palmam cõtenderet, & quàm suauis sit laborum & partæ victoriæ fructus, sentiret & experiretur: verùm vt facilius hanc sibi immortalem compararet gloriam, in perdifficili agone cõtendendo, domuit affectus,*
1.Corint.9. *& ab omnibus abstinuit, & tam strenuè cõflixit, ac in stadio cucurrit, vt excellentissimum gloriæ brauium repertauerit. Ascendunt & illi in palmam, qui repressa libidine, & mortificata cum vitijs concupiscentia, in summum virtutis & honoris fastigium conscenderunt, & ita in Christi cruce profecerunt, vt ab Agonotheta summum æternæ*
Galat.5. *felicitatis præmium obtinuerint. de quibus dicit Paulus, Qui autem sunt Christi, car-*
Galat.6. *nem suã crucifixerũt, cum vitijs & concupiscentijs, & quia seminarũt in spiritu, de spiritu messuerunt vitam æternam. Nec quispiam fructus huiusce palmæ, ac sanctæ crucis præmia consequitur, nisi plagis & vulneribus Christi compatiatur. Dicit enim Pau*
Rom.8. *lus, Compatimur, vt conglorificemur.* Et erũt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui, sicut odor malorum. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque, & dentibus illius ad ruminandum. *His concinnè vberibus exprimuntur doctores, botris vineæ simillimi, quòd sacro fonte renatos, lacte primum & teneriusculis cibis nutriant: deinde cùm literis & moribus grandescunt, illis solidiorem diuinæ sapientiæ escam suppeditant, quos sensim alliciunt ad olfaciendum martyrum odorem, & fragrantissimam illorum virtutem, qui illustrissimum pro Christi nomine subierunt certamen, etiam ad sanguinis vsque effusionem, & de vita periclitati in palmam ascenderunt. illorum guttur vino suauius est, qui eximio sacrarum literarum sapore deliniti, magisquam vinum optimum redolent, & suauiorem odoris fragrantiam spirant, nósque magis oblectant quàm vinum Lesbium, aut Rhodium: quandoquidem sapidissimo vino inebriati, iterum sitiunt: suauissimo verò sacræ scripturæ, & spiritus sancti musto inebriati, non sitiunt in æternum. Labia verò & dentes ruminant, cùm audita dei eloquia ad memoriam reuocant, & si quid exciderit, frequenti meditatione ad cellulam artificialis memoriæ reducunt.*
Leuiti.11. *Et quia in lege cautum erat, vt animal, quod non ruminaret, immundum haberetur, idcirco quisquis sacram lectionem ruminando non repetit, pigritia solutus, & vacans à sancta meditatione, immundus habeatur.* Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea. *Ecclesia Chri-*

stum alloquitur, dicens, Ego tibi omnia mea deuoueo: tibi syncera fide, prompto obsequio, & inuicta charitate adhæreo. de meo erga te amore, vaticinatus est eximius Propheta, dicens, Adhæsit anima me post te, me suscepit dextera tua. nec quicquã mihi molestius contingere posset, quàm ab antiqua tuæ amicitiæ beneuolentia dissolui. Nos omnes tibi assurgimus, te veneramur & suspicimus. nos populus tuus, & oues gregis tui. fac, vt tibi mordicus adhæreamus, & vno amoris glutino tibi obuinciamur. Tibi non solùm meum despondi corpus, verumetiam & animum. Hoc corpus cui præficeris, tua gratia ab hostibus protegitur, quod si neglexeris, aut deserueris, languescet & emorietur, nec tibi amplius erit corpus. Si denique labascat, & in aliquo imbecilliori membro titubet, quæso, præsentissimam adhibe antidotum, & oportunam medicinam, ne morbus tam altè serpat & grassetur, vt morti cedere cogatur. Ad te post lapsum confugio & conuertor. Nec ea me cæcitatis nota obnubilat, vt non meam agnoscam culpam, nec intelligere possim, mea scelera purissimis tuæ misericordiæ fontibus abluenda esse: nec etiam hoc mihi velim arrogare, vt prius ad te conuertar, quàm ad me conuertaris. Me siquidem docuit Hieremias, vt tuam deposcendo gratiam, dicerem, & ingenuè eloquerer, Conuerte me domine, & ego ad te conuertar. Et postquam me conuertisti, egi pœnitentiam. Quòd si obtinere possim, quod tantopere optabam (tametsi pro viribus sudauerim, vt ad tuam gratiam, à qua excidi, redirem) dicam & planè profitebor, me non tam meo conatu, quàm tua clementia, & clementissima misericordia, tibi reconciliatam esse. Veni igitur dilecte mi, & post meam conuersionem, osculare me osculo oris tui, exhilarescas, quòd ad tuam redierim gratiam, quòd denique callidissimus serpens nunquam me potuit vafra desperationis arte deludere & vincere. egrediamur simul in floridissimum & odoriferum agrum, nec sinas hunc agrum vepribus, lappis, zizaniis & spinetis obsitum fieri & squallere: tuis angelis, ac legatis, qui tibi assiduè ministrant, visita hunc agrum & mundum. tibi natiuum est & genuinum, seminare bonum semen, cuius fructum filij dei metunt: prohibebis si voles ne inimicus dei diabolus, tuæ sementi inserat, & commisceat zizania. At vbi hic ager euulsa noxiarum herbarum radice, cultus fuerit, cõmorabimur in villulis, in populis scilicet credentibus circumquaq; diffusis, in quibus per fidem habitas. Consurgemus deinde diluculo ad videndum, si nam vites odoriferæ floruerint, quæ fidei præsidio adiutæ, optimis tãdem virtutum officiis efflorescunt, & matutino tempore te à mortis somno expergefactum agnoscunt, nec amplius densa infidelitatis nube tenentur, nec de excellentissima tui corporis resurrectione hæsitant, & diffidunt. Viderunt & tui coloni vitem floruisse, cum ore pronuntiarunt, quod corde crediderunt. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. flores etiam, fructus pariunt, cùm fidei respondent opera, & pietatis officia in pauperum alimoniam, suum florem emittunt. Floruerunt & mala punica, in his qui intrepido animo, & inuicta animi magnitudine, periculis se exposuerunt, & cruento tyrannorum ac carnificum gladio ceruicem supposuerunt. Nouimus & hoc malum punicum in Paulo, qui suis dicebat amicis, Non solùm iudicari in Hierusalem, sed & mori pro Christo paratus sum. Hæc mihi & meis collata à te beneficia me ani-

Psalm. 62. Psalm. 94. Hiere. 31. Matth. 13. Roma. 10. Acto. 21.

mabunt,vt feruentius te diligam,& tibi mea omnia communicem,offero tibi mea vbera,meis fruere amplexibus,nihil tibi denegare possum,nec meus labor tuæ gratiæ respondere potest. quammaximas tibi ago gratias,quòd mecum sis omnibus diebus,vsque ad
Matth.28. *consummationem seculi,nec vnquam me deserueris,nec à tuo regno exulauerim.* Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi. *Mandragoram herbam,alij circeium vocant,authore Plinio libro vicesimoquinto,capite decimotertio, cuius duo sunt genera. Candidus, qui & mas: niger, quæ fœmina existimatur, angustioribus folijs, quàm lactucæ, hirsutis & caulibus, radicibus binis, ternísve nigris foris,intus albis, carnosis tenerísque, penè cubitalibus.Odor mandragoræ grauis est,sed radicis & mali grauior.Folia grauedinem adferunt etiam olfactu.Vis somnifica pro viribus bibentium.Bibitur & contra serpentes. Dictæ sunt mandragoræ, quòd habeant mala suaueolentia in magnitudinem mali,vnde & eam latini malum terræ vocant: hanc poetæ ἀνθρωπομόρφον, quòd habeat radicem,formam hominis assimilantem,quæ datur in vino ad bibendum,quorum corpus propter curam secandum est,vt soporati dolorem non sentiant. In veteri*
Gene.30. *testamento nouimus Liam extorsisse suis mandragoris à Rachel concubitū Iacob. Mandragoræ propter multimoda medicaminum genera, sanctorum virtutibus comparantur,quæ morbos animi & vitia depellunt. Et qui altam habent radicem, in fide fundatam, & austeram agunt vitam,instruendo populum, suauissimum suæ vitæ & sacrarum literarum odorem in christianos abundè transfundunt: qui ecclesiæ patrocinio suffulti,nobis vetera & noua poma veteris scilicet & noui testamenti intelligentiam reliquerunt,nec ita nouis adhæserunt,vt vetera contemnerent.& qui vtrunque testamentum percallet, & ex vtroque fructum decerpit, consummatissimam sibi doctrinam comparat, & vir doctissimus euadit.*

ARGVMENTVM OCTAVI CAPITIS.

Sponsa vehementer optat suum deosculari sponsum,& castissimo sui fratris amore perfrui,vt ab omnibus ametur,nec à quopiā despiciatur.quòd si sponsum,quem tantopere perquisiuit,foris inueniat,eum lubenter intromittet in domū matris suæ,vbi familiari colloquio cum eo de honesta disciplina,ac sanctioribus literis confabulabitur: à quo secretissima rerum diuinarum mysteria discet.at vbi primùm & literis & moribus rectè erit instituta,illum miris præconijs extollet,illi assurget, illum denique ambobus brachijs amplexabitur,nec vllis tyrannorum comminationibus,neque supplicijs ab honesta,ac antiqua illius amicitia diuelli,ac dimoueri poterit,nec aquæ è summis montibus etiam cum impetu decurrentes, hanc extinguent charitatem, nec flumina obruent illam,qua sanè nihil est sanctius,nihil optabilius,nihil denique diuinius: cui neque diuitiæ,neque honores,neque disciplinarum omnium studia conferri possunt,qua denique deo adhæremus,& immortalem nobis comparamus gloriam.

CAPVT OCTAVVM.

QVis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, etiam me nemo deſpiciat? Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum. Lęua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitaui te. Ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua. Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors, dilectio: dura ſicut infernus, æmulatio. Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Soror noſtra parua, & vbera non habet. Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt? Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea. Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus: & vbera mea, ſicut turris ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens. Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos. Tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his qui cuſtodiunt fructus eius. Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnulóque ceruorum ſuper montes aromatum.

FINIS.

QVis mihi det te fratrem meũ, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, etiam me nemo deſpiciat? *Exoptauit aliquando Synagoga, vt filius dei è cælo deſcenderet, ne perpetuò in carceribus ignorantiæ, & denſiſſimis tenebris diuerſaretur, ſed aliquando diſcuſſa nube & depoſito cæcitatis, ac inſcitiæ velamento, ſplendidiſſimum iuſtitiæ ſolem, ac fulgidiſſimos euangelicæ gratiæ radios intueretur. Quapropter Dauid ſummopere deſiderauit, vt vnigenitus dei filius ex auguſtiſſima ſui patris domo egrederetur, & Iſraeliticum populum inuiſeret.* Exurge(inquit) *& ne repellas in finem. & aliubi,* Inclina Pſalm. 43.
cælos tuos, & deſcende. Et Eſaias *cupiēs eum videre, dicebat,* Vtinam *diſrumperes cæ-* Pſalm. 143.
los, & deſcenderes. Sugit autem Chriſtus vbera matris, cùm myſterijs priſcæ legis reſi- Eſaiæ 64.

citur Christianus populus, vel cùm eum doctores spiritualibus sacramentis, & sana doctrina natriunt & fouent. Cupit & ecclesia inuenire suum sponsum foris, vt scilicet
Philip.2. *carnem humanam induat, qui exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & ex ea factus est homo, vt soluto nostræ redemptionis pretio, in nobis habitaret: quem in veteris testamenti figuris obtectum, per euangelium in veritate reperimus. At vbi primùm ecclesia suum sponsum pudicè deosculata est, cœpit ab omnibus amari, & qui prius eam odio vatiniano prosequebantur, & tanquam sordidam & immundam meretricem contemnebant, in eius amorem exarserunt, eámque post osculum coluerunt. Siquidem ante aduentum Christi, solùm fuit ecclesia intra angustias Iudææ: sed post eius ascensionẽ, fuit per totum terrarum orbem diffusa & dilatata. Prius dictum fuerat, Notus in*
Psalm.75 Psalm.56. *Iudæa deus: nunc autem dicitur, Exaltare super cælos deus, & super omnem terram*
Actor.11. *gloria tua. Nec Petro dicetur pro Cornelio (quem gratia spiritus sancti præuenerat) Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? sed ipse Petrus pronũtiet, In veritate comperio, quoniam personarum acceptio non est apud deum, sed in omni loco, in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.*

Apprehendam te & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. *Cùm te illustrato mei ingenij acumine apprehendero, tuámque philosophiam didicero, ac tibi fide & charitate adhæsero, te introducam in domum matris meæ, in cælestem scilicet, ac sanctam Hierusalem. nec tam eò te perducam, quàm tuis beneficijs, ac amplissima gratia me perduces: ibi me*
1.Corint.13. *docebis, vt iam non in ænigmate per speculum, sed facie ad faciem videam: & non ex parte sicut nunc, sed tunc cognoscam lympidè & perfectè, sicut à te cognita sum. Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malogranatorũ meorũ, quando optimos & dulcissimos martyrum & sanctorum fructus protulero: & filij hominum, qui in*
Psalm.35. *vmbra alarum tuarum sperant, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Sunt qui dicunt ecclesiam ducere sponsum apprehensum in domum matris suæ, quia Synagoga in fine mundi Christum, in quem credit, prædicabit, dúmque per prædicationem ecclesiæ susceptus fuerit, ibi ecclesiam docebit, quia se doceri gaudebit, quando Synagogam iam idem corpus factam, erudiri secum videbit. Poculum ex vino conditum ecclesia dabit, quia ipsi synagogæ nouum testamentum cum veteri prædicabit, & quasi vino poculum condiet, quia dulcedinem euangelij testimonijs legis, quæ aspera est, vt robustius teneatur, cinget. Mustum verò malorum granatorum suorum tribuet, vt synagoga martyrum exemplis inardescat, & Antichristi persecutionibus, martyrum præcedentium exemplis roborata, non succumbat. Quidam autumant matrem hominis, & eius promptuarium, esse terram, secundum illud, terra es,*
Genes.3. *& in terram reuerteris: Genesis tertio. & huius penu vel promptuarium, mors est. vt enim in promptuario thesauri reconduntur, sic & in morte, animæ iustorum requiescũt, & ad perpetuæ vitæ felicitatem transferuntur. Regnauit enim mors, & imperauit homini ab Adam vsque ad aduẽtum huius cælestis sponsi, qui humanam carnem induit,*

vt in ea mortem perderet, & vitam repararet æternam. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Læua Christi, temporanea exprimuntur, & quæ in hac præsenti vita facile decidunt, nec in eodem statu permanent. dextera verò, æterna & excellentissima beatorum munera. & bis verbis agnoscimus ecclesiam eo in suum sponsum amore flagrasse, vt prosperam rerum omniũ fortunam, fauorem vulgi, & summos honores despexerit, quò facilius dexteram sui sponsi exosculaetur. & quemadmodum sinistra sub capite constituitur, ita tẽporalia, sub rationis dominio collocantur: cælestem verò gloriam, tanquam dexteram complectimur, & voluntariè in hac peregrinationis semita, deo obsequimur, vt à dextris dei tanquam oues collocemur, vtilissimum beati Petri præceptum obseruantes, Pascite qui in vobis est, gregem dei, non coactè, sed spontanei. Habent & illi sub capite læuã, qui mente erecta ad beatitudinem Christi currentes, vitam præsentem sub se vident: & dextera Christi eos amplexatur, quia ex omni parte, eos dilectio cælestis intra se retinens tuetur.* Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. *Hæc alibi à nobis affatim explicata sunt, quæ subindicant neminem accersendum ad fidem, nisi velit, & suum præstiterit conatum: & quanuis alto & admodũ pigro vitiorum somno detineretur, & voluptatum pedicis irretitus languesceret, tamen ab hoc lutulentæ mentis lethargo, excitandus non est, nisi excitanti adiutricem manum præbuerit. Vult & hæc allegoria, vt qui in cauernosis sterilium disciplinarum antris dormitarunt, dent operam, vt à cimmerijs tenebris ad conspiciendam bonarum literarum lucem expergiscantur.* Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum? *Nemo nescit ecclesiam aliquando desertã fuisse, & vastam eremi solitudinem incoluisse, cui propheta dicit, Pro eo fuisti derelicta & odio habita, & non erat qui pertransiret. de cuius etiam filijs in Psalmo canitur, Errauerunt in solitudine, in siccitate: viã ciuitatis habitationis non inuenerunt. Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Et deduxit eos per viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis. Delicijs affluebat ecclesia, & Iudæorum Synagoga, cum populus Israel à deserto egrediens, in terram promissionis lacte & melle fluentem ingressus est. Has autem delicias à deserto veniens ecclesia, in Christo suauissimas & multiplices reperit, & nixa est super dilectum, quia ad ipsam per prophetam idem dilectus dicit, Ego feci, ego feram, ego portabo, & ego saluabo. Aut delicijs affluit, quia sacræ scripturæ meditationibus intendens, cælesti pabulo assiduè mentem pascit. Super dilectum innititur, quia in saluatoris auxilio confidens, præsente ab exilio ad patriam transfertur. & nisi huic firmissimæ columnæ innitatur, diuinóque subsidio adiuta fuerit, stare non poterit. Dicit enim Christus de apostolis, & fidelibus in ecclesia collectis, Sine me nihil potestis facere.* Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me vt signaculum super cor tuũ, vt signaculum super brachiũ tuum, quia fortis est vt mors, dilectio: dura sicut infernus, æmulatio. Lampades eius, lam-

Marginal notes: 1. Petr. 5. — Esa. 60. — Psalm. 106. — Exod. 3. — Esa. 46. — Ioann. 15.

pades ignis,atq; flammarũ. *Arbore malo, sancta crux designatur, quæ malũ illud, & durissimũ tormentũ sustinuit, & Christus in odorifero crucis patibulo, vbi occubuit, ecclesiã à peccatorũ interitu suscitauit, & à tenebris ad lucẽ reuocauit: precatus est etiã,*
Lucæ.22. *ne fides* Petri *deficeret, quẽ desiderauit* Sathanas *velut triticũ cribrare.* Ibi *corrupta est mater tua, quia synagoga vesaniæ morbo laborãs, & inuidiæ studio inflãmata, sua im-*
Matth.27. *pietate victa est, quãdo clamabat, Crucifige: &, Sãguis eius super nos, & super filios nostros. cum etiã Christũ cruci affixit, nefando scelere se corrupit, & huiusce sceleris magnitudinem inculpat, dicens,* Ibi *violata est genitrix tua. Maior siquidem pars plebis Christum negando, &* Barrabam *eligendo, ad crucem reprobata est. Sed quoniam ad*
Roma.11. *hoc cæcitas in* Israel *facta est, vt plenitudo gentium intraret, ideò intranti ecclesiæ dicitur,* Pone *me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* In *corde latent intimæ animi cogitationes: in brachio, operationes exprimuntur. Super igitur cor & brachium sponsæ, dilectus vt signaculum ponitur, quia in sancta anima insculpitur & effigiatur, quæ summi exemplaris & signaculi imaginem retinet, cùm syncera fide, & præclaris virtutum officijs, eximiam sui sponsi formam illustrat, illiq;*
Psalm.4. *tenacissimè adhæret. & totis viribus conari debemus, ne lumen dei super nos signatum contaminemus, aut obscuremus: & ad hoc signum, tanquam ad tutissimum nostræ salutis scopum, inflectenda sunt nostra & christianorum omnium studia.* Fortis *est vt mors dilectio tua, eo amoris incendio in te flagraui, vt mortem pro te oppetere non eru*
Ioann.15 *buerim, nec maiorem in me charitatem agnoscere potuisti, quàm quòd animam meam pro te posuerim. nullum pro te recusaui laborem, nulli cruciatus quantunuis etiam atroces, me vicerunt, nullis denique casibus & periculis succubui, sed meipsum sponte obtu-*
Esaiæ 53. *li morti, & tanquam ouis ad victimam ductus sum, vt te ab æterna morte eriperem: & cùm* Iudæi *in meã faciem conspuerent, & mihi colaphos incuterẽt, ac carnem meam membratim diuellerent, subticui, & tanquam agnus coram tondente obmutui, nec volui clauum clauo retrudere, nec vlcisci iniuriam mihi illatam: sed pro te omnia tormenta æquo animo toleraui, & tibi pulcherrimum tolerantiæ specimen reliqui, ne retalies, nec libidine vlciscendi resistas malo.* Docuit & Paulus *dilectionem Christi esse mor-*
Roma.8. *te & omnibus supplicijs superiorem, cùm dixit,* Quis *nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?*
Psalm.43. *sicut scriptum est,* Quia *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Certus *sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro.* De *hac charitate morti collata, loquitur* Augustinus *epistola* Hieronymo, *de loco qui est*
Augustinus. Iacobi *secundo, qui offenderit in vno, factus est omnium reus, vbi dicit,* Merito *charitas dicta est fortis sicut mors, siue quia nemo eam vincit sicut mortem, siue quia in hac vita vsque ad mortem est mensura charitatis, siue potius, quia sicut mors animam auellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentijs carnalibus.* Dura *vt infernus emu-*

latio. In bonā aliquando partem sumitur æmulatio, sicut dicit Paulus, *Aemulamini cha rismata meliora. In malam autem, vbi per Samuelem Sauli dicitur, Auferetur à te regnum, & dabitur æmulo tuo: æmulus quippe Saulis erit Dauid, cui Saul inuidebat: & ex eo dura est vt infernus æmulatio tua, quia tuis conciliabulis, tua inuidia, tuis denique calumnijs connixa es me ad inferos vsque detrudere: & sicut infernus quos tenet, sine misericordia discruciat: ita flagitiosissimi* Iudæi *Christum apprehendentes, absque vlla commiseratione & clementia, ad aram crucis pertraxerunt. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Sicut enim ignis quæ incendit, consumit: ita Christus sua morte quæ nobis illuxit,* Iudæorum *inuidiam, calumnias, & imposturas destruxit: hic enim ignis aduersarios consumit. Potest & hic locus de virginibus explicari. Vasa siquidem, in quibus flos virgineus & castitas habitat, semper sunt splendida, & spiritus sancti igne feruentia.* Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. *Eam charitas vim habet, vt neque torrentissimo aquarum impetu, neque fluuijs disrupto alueo erumpentibus, extingui possit, & obrui. Nec tribulationes, angustiæ, naufragia, molestiæ, nec denique vlla pericula, dilectionem Christi perturbare, vel vincere possunt, secundum illud quod paulo antè protulimus, Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, &c. Hoc charitatis incendio exarserunt martyres, quos nec mille tribulationum procellæ, nec gladij, nec tyrannorum cōminationes à feruentissimo dei amore diuellere ac disiungere potuerunt, qui perdiderunt animam suam, vt eam in regno dei inuenirent, qui denique religionem pietati præferentes, reliquerunt patrem, matrem, fratres, sorores, agros & caduca omnia, vt Christum sequerentur, & sequendo centuplum acciperent, & vitam æternam possiderent. Quòd autem charitas omnia sufferat, nec oppugnari possit, ostendit* Paulus *primæ Corinthiorum decimotertio capite, dicens, Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. *Si opes charitati conferantur, pro nihilo habebuntur, & qui res humanas honores, & omnes diuitias contempsit, vt ad vexillum Christi properet, nihil præter deum ac Christi charitatem diligit, nihil spirat quod non sit sanctum & odoriferum, omnia in se sentit sedata & quieta: mundum reliquit, vt deo adhæreret. & pulchrè cohæret huic cantico, quod dicit Paulus ad Corinthios, Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meū ita, vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest: hac enim nihil est excellentius, nihil denique pretiosius, de qua dicit diuus Ioannes, epistola prima, capite quarto, Quia deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet.* Soror nostra parua, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die

1.Corint.12. 1.Regū 18. Roma.8. Matth.10. Matth.19. 1.Corint.13. Ibidem. 1.Ioann.4.

quando alloquenda est? *Ecclesia ex gentibus collecta, rudis est, & tenellam ac mo dicam fidem habet, & quia nondum est fidei virtute stabilita, lacte indiget. cuius filios*
1.Corint.3. *alloquens Paulus, primæ Corinthiorum, tertio capite, dicit,* Non potui *vobis loqui quasi spiritualibus, tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec quidem adhuc potestis, adhuc enim estis carnales. & alibi,*
1.Corint.6. *ubi, Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum. ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Dum eos in tanta pusillanimitate redarguit, vtique ecclesiam adhuc pusillam in fide ostendit, quæ pro tenera ætate vbera non habet, quibus suos liberos nutriat, & de hac paruula sorore dicit sponsus cum apostolis, Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? quomodo disponemus ecclesiam eo tempore, quo ad fidem vocanda est?* Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea. *Tametsi gentilium ecclesia murus fuerit, ad obsistendum nocentissimis fidei inimicis, tamen ab hostium obsidione, & validissimis dæmonum incursionibus liberari non potuit, donec sua castra argenteis spiritus sancti propugnaculis muniuerit. Sunt autem hæc argentea propugnacula, Christi & sanctorum miracula, quibus infidelium acies deletur & oppugnatur. dedit enim deus apostolis & ec*
Lucæ 21. Ioel 2. Actor. 2. *clesiæ in festo pentecostes, os & sapientiam cui nemo resistere potuit, & postquā nonnibil effudit de suo spiritu super apostolos & super omnē carnem, & facta sunt prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, demissæ sunt Iudæorū cristæ, & repressa est infideliū arrogātia, & imbecillius q̄ antea aheneum ecclesiæ murum concusserunt. Qui etiam cœperūt in fide crescere, & ita stabiliri, vt sua virtute & prudētia infirmos quosq; ad capessendam euāgelij doctrinam cōmouerent, suscepto bonoris priuilegio, ad cæteros*
2.Timot.2. *docendos sunt instituti, secundum id quod dicit* Paulus ad Timotheum, *Hæc commenda*
Tit.1. *fidelibus qui idonei erunt & alios docere.* Et ad Titum, *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates præsbyteros, sicut ego tibi disposui. Dum ista sic in ecclesia disponuntur, tanquā propugnacula argentea muris adijciuntur.* Si ostium est, cōpingamus illud tabulis cedrinis. *Si spectemus allegoriam, hoc ostio exprimemus ecclesiam, quæ à Christo potestatē aperiendi & claudendi accepit. Erat & hoc ostium in apostolis, quia per eos nobis ad regnum dei patuit*
Matth.16. *aditus. Vnde primo ecclesiæ pastori dictum est, Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.*
Ioann.10. *Appositissimè Christus dicitur ostium, qui de seipso dixit, Ego sum ostium, per me si quis intrauerit, saluabitur. & hoc ostium cedrinis tabulis compingitur, cùm sancta ecclesia fidem prædicans, odoratissimis martyrum, & sanctorum virtutibus decoratur. Nobis opus est ostio, quo plectrum linguæ refrænabimus, & infrænes animi affectus*
Psalm.140. *occludemus. & huiusce ostij meminit Dauid, dicens, Pone domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis. Itaq; qui idoneus est ad loquendum, & velut ostiū quod aperitur & clauditur, tempus loquendi & tacendi intelligit. huius ostium cedri-*

nis tabulis compingitur, vt dum odoriferum lignum in se suscipit, cum Paulo dicere possit, Mihi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. *Fatetur ecclesia se esse murum viuis lapidibus compactum, & tenacissimo charitatis glutinio coadunatum, cui superextructa sunt propugnacula, & super hoc solidissimum huius muri fundamentum alius superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, alius lignum, fænum, stipulam, sicut dicit Paulus, Secundum gratiam dei, quæ data est mibi, vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. vnusquisque autem videat quomodo superædificet, fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Siquis autem superædificat super fundamẽtum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Vbera ecclesiæ vt turris attolluntur, in his qui deo construente, proceritatem iustitiæ & bonorum operum, relicta infantia consequuntur, & paruulos paulatim solido diuinæ sapientiæ cibo nutriunt: quibus dicit Sapientia, Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. Peperit autem ecclesia fortissimis fidei & spiritus sancti propugnaculis munita, pacem, cum apostolis dixit dominus, Pax vobis. Iterum, Pax vobis. Illa autem vbera turri comparata, duo testamenta dici possunt, & duo excellentissima charitatis præcepta, quibus deus nobis iungitur, & nos deo, quibus denique lex consummatur, nec absque illorum præceptorum obseruatione fit nobis ad Elysios campos aditus: quòd si vnum sustuleris aut negligenter obseruaueris, vix alterum subsistet, mire siquidem indissolubili nexu vinciuntur. aut illis vberibus, duplex vitæ genus intelligito, actiuum scilicet, & quod contemplationis est proprium. quorum primum, secundi gratia suscipitur: virtutum siquidem moralium actiones & officia ad contemplationem inflectuntur, lubenter enim à rerum terrenarum studijs & forensibus negotijs feriamur, vt quieto vitæ contemplatiuæ otio vacemus. Et istis ecclesia præsidijs adiuta, duce sui sponsi gratia, ad altissimum & supremum perfectionis gradum instar turris euehitur, nec amplius rerum humanarum solicitudine, perturbationibus, accuris discrutiatur, sed sedatis terrenæ vitæ procellis, iucundissime quiescit, & sedet in oculis sui sponsi, cum quo prius varijs agitata tormentis & molestijs, non sedebat, ostendens plane nunquam nos hic perfectè posse quiescere. Non enim habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus, vti Paulus ait. Aduenæ enim & peregrini sumus in alieno solo, longe à patria nostra illa superna profugi, ob id huc missi, vt quandiu hãc agimus vitã, morũ sanctimonia & optimis virtutũ officijs, viaticũ ad patriã ipsam conductur ũ nobis comparemus.* Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos. Tradidit eã custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos, vinea mea corã me est. *Christus verè pacificus dicitur, quia per ipsum deo recõciliati sumus, & qui aliquando fuerant filij iræ, eius gratia & clementia, facti sunt filij amoris & pacis. Nec tam à Paulo dicitur pacificus, quàm ipsa pax. Ipse enim est pax no-*

Galat. 6. 1. Corint. 3. Prouer. 9. Ioann. 20. Hebræo. 13. Ephe. 2. Ibidem.

Esaie 9. *stra, qui fecit vtraque vnum, de quo etiam dicit Propheta, Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Vitis hæc, & assidua ecclesiæ cultura, huic pacifico nectitur, nec absque pace excoli potest: nec palmites ecclesiæ fructum ferunt, nisi manserint in vite, scilicet in Christo, qui in euangelio Ioannis dicit, Ego sum vitis vera, &*
Ioann. 15. *pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructus plus afferat. & rursum, Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. & qui sunt in hac vite plantati, flo-*
Psalm. 91. *rebunt: de quibus dicit Dauid, Plantati in domo domini, in atrijs dei nostri florebunt. Tradidit eam custodibus, commisit eam regendam Moysi, Prophetis, deinde Apostolis & eorum successoribus, ac Episcopis, ad quam sub nomine Hierusalem dicit dominus per Prophetam, Super te & super muros tuos posui custodes tuos, tota die & nocte vsque in finem non tacebunt. Vir adfert pro fructu eius mille argenteos, Chri-*
Zacha. 7. *stus, de quo Propheta dicit, Ecce vir oriens nomen eius, nobis pro assiduis laboribus & eleemosynis, æternum rependit præmium, & sancta religionis, ac pietatis officia, copiosa mercede compensat, qui beatis, quadam pollicitationis formula dixit, Gaude-*
Matth. 5. *te & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Et alibi dicit de ijs, qui*
Matth. 25. *prompto obsequio pauperibus suam præstiterunt operam, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: quia esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes fui, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus & in carcere, & venistis ad me. In mille autem argenteis, plenitudo totius remunerationis ostenditur, & consummata iustorum merces. Vinea mea coram me est, quia mea præsentia colitur & augetur, & à meis exculta discipulis, suauissimum fructum parturit. Huic simillimum est sententiæ, quod dicit Prophe-*
Psalm. 33. *ta, Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum. dicit etiam Apostolus,*
1. Thess. 4. *Quoniam ipse dominus in iussu, & in voce archangeli, & in tuba dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obuiam domino in aera, & sic semper cum domino erimus. Et quia semper post resurrectionem sancti cum domino erunt, idcirco dominus dicit, Vinea mea coram me est.* Mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius. Quæ habitas in hortis, amici auscultãt, fac me audire vocem tuam. *Duodecim si centenario numero multiplicentur, mille ducentos efficiunt, & hic numerus vtique apostolis, & apostolicis viris congruit, qui pro integerrima vitæ sanctimonia, & ea Euangelij legatione qua belle functi sunt, ad victricem palmam ascenderũt, eiúsque suauissimum fructum apprehenderunt. Et hi quoque pacifici dicuntur, quòd sana doctrina infestissimos ecclesiæ inimicos vicerint, & suis precationibus nos ab improbis canibus, & virulentis serpentum morsibus protexerint. Habitat ecclesia in hortis, quos indefesso labore & assiduis vigilijs coluit, excul-*